

Coll. Societ. IESV. Monachy 1637.


LABYRINTHI AB ÆGYPTIIS POSITI LAVDES,

cum

MVNDI A DEO CONDITI ENCOMIIS EXPENSÆ.

Auctore

GEORGIO STENGELIO SOCIETATIS IESV THEOLOGO.



PETE AB EO, VT VIAS TVAS DIRIGAT. Tob.

INGOLSTADII, *Formis* GREGORII HÆNLINI. *ANNO M. DC. XXVIII.*

ILLVSTRISSIMO DOMINO, D. VVERNERO TSERCLAES, COMITI DE TILLII, BARONI IN MARBAIS, DOMINO IN BALASTRE, MONTIGNI, NEVVILLE, BRAITTENECKH, HOLSTAIN, Freyſtat, & Altenburg, Auguſtiſsimo Imperatori Ferdinando II. & Sereniſsimo Electori Maximiliano Bauariæ Duci à Conſilijs bellicis, & à cubiculis: nec non tam equitum, quam peditum Magiſtro ac Duci, Ingolſtadienſis Ciuitatis Præfecto digniſsimo &c. Domino ſuo omni obſeruantia colendo.

GEORGIVS STENGELIVS S. P. D.

NON epiſtola, ſed alius mihi liber ſcribendus eſſet, Ill.^me^ Domine, *ſi cauſſas explicare vellem libri iſtius tibi à me dedicandi. Colere te cupio nominibus multis publicis, multis priuatis. Colere te debeo, quorundam iuſſu, quorundam rogatu, omnium affectu.*

Primùm TILLIVS *es. Superi! vno verbo quantum dixi? Antiquus ſcriptor, cum de Iure belli lo-*

 que-

queretur, veniens ad Scipionis & Marcelli mentionem adiecit: quorum ipsa nomina instar æterni sunt triumphi. *Hac nostra Martia ætate,* Tillium *nominasse, est de hostibus triumphasse. Nullus unquam Achilles partem adeò terruit aduersam, nec propria castra tantopere animauit. Achilles inter eos eminuit, qui decennio vnam vrbem ceperunt: Tillius vno decennio non tantùm decem vrbes, sed ferè decem etiam regiones subiugauit, ad miraculum vsq; victoria æquè, ac bello, continuata: quasi nouus seculi nostri Hercules, natus ad orbem terrarum à monstris ac rebellibus perpurgandum. Hic tantus, te tantum bello genuit. Si enim Paulus Onesimum filium vocat, eumq́; se in*

Val. Maxim. lib. 2. cap. 8.

Ad Philem. v. 10.

ſe in vinculis genuiſſe ait, quia in vinculis ad fidem inſtruxit; cur te filium illius Ducis non fas ſit appellare, à quo in bello, atq; ad bella es educatus? Quis igitur non diceret? Benedictio ſit tibi, quia boni & optimi viri filius es; *certè ſanguis.* Tob. 7. 7.

Et eo dignior, quia cum tanti Herois ſis, non es noxa, nō degener; ſed iam dudum ea documenta edidiſti, vt ſcriberetur, te, cuius nomen gereres, illius etiã aliquando vices agere poſſe: quaſi notum illud, Spes altera Martis, *tibi accōmodaretur.*

Ac meritò: neq; enim feruida tãtùm tua virtus, aut prudentiſsima ingenij perſpicuitas, tam belli, quàm pacis rebus agendis aptiſsima; verùm etiam ipſa quoque tua præclariſsima facinora à tot iam annis per

 illius

illius te vestigia deduxerunt. A Bohemico iam bello armis fulges, & ferro clarus es. In Pragensi iam prælio te equitum Ducem hostiles turmæ timuerunt, fugerunt.

Et parta tunc victoria, sicut antè ostenderas, tibi Martem esse in manu, ita mox declarauisti, te Palladi ingenium consecrauisse. Nam cum alij alia spolia legerent, cum aurum, cum argentum, cum supellectilem preciosam conuasarent; tu Musarum amator Bibliothecas adijsti, chartas & volumina inter maxima cimelia sapientum esse arbitratus. Ita alij, vt libros, tanquam mercem molestißimam, fugiant, in bellum eunt; tu libros ita amas, vt pro ijs, tanquam pro aureo quodam vellere, nouus Iason

ſon bellare videaris. Talis & Iulius EX VTRO QVE CAESAR *hinc librum, inde gladium tenebat, robore ſupra ceteros eminens, & eruditione. Libros itaq; cũ tantopere ames, librum offero. Et cur librum vnicũ tibi non offerrem, qui mihi, immò Collegio potiùs noſtro, ex Pragenſi illo ſpolio ferè totam Bibliothecam donauiſti? Nimirum libros hæreticos meliùs damnare non poteras, quàm ſi eos Ieſuitis traderes includendos, & calamis cruciandos: quorum tu autores & fautores telis confodiſti. Quamobrem etiam Eccleſiæ tibi nomine gratiæ debẽtur, pro qua pugnauiſti; & quidem ita, vt omnibus huc vſq; prælijs intereſſes, vnico illo Danico excepto, à quo te neceſſitas domeſtica ſanè quàm*

Gabriel Simeon in Heroicis Symb.

inuitum impediuit. Etsi enim Ill.mam coniugem Franciscam Barbaram Liechtensteiniam, *eo, quo par est, amore maximo colas, apparuit tamen tunc, quanti mens bellica certaminis laudes faceret, cum ex animo suspirares, te vni illi pugnæ interesse non potuisse. Nec verò prælijs interesse soles, vt ociosus spectator, aut tanquam is, qui post initia latet; sed pedem pedi conferre, inter densa agmina, inter nudos enses, inter vibrantia tela, inter micantes de fumo ignes, inter crepãtia fulmina versari gaudes. Campus tibi est hortus, prima acies solatium, deniq;*

Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus

Catull. de Nupt. Pelei & Thetidis.

esse soles. Cui rei argumenta cũ plurima possim commemorare, paucis contentus ero, ne epistolæ modum excedam.

cedam. In Durlacensi luculento illo prælio, quantus in arma consurgas, senserunt hostes. Sed & patuit, te nō consistere, vbi sis extra teli iactum. Nam globum aduerso pectore excepisti. Alio in certamine plaga altiùs descendit, vt testareris te è propinquo pugnauisse. Fluuius Loen vrbi nomen dat. Ibi hostes fundi nō poterant, nisi tu sanguinem fudisses. Octingentos equites ducebas, quorum rubra vexilla cum exercitum maximè decorauissent, nullum tamen maius ornamentū fuit, quàm à sanguine tuo rubens terra. Miscebatur iam aeri fumus, &, inter fumum, virorum pariter ac tormētorū globi, tu verè per tela, per ignes, ad victoriam ruebas. Ruebas, inquam, quia glande plumbea traie-

ctus, non solùm nō canebas receptui; sed vulnere accepto, hosti fortiùs institisti. Quod ille animaduertēs, institit & ipse tibi. Ad te, tanquā ad cōmunem quendam scopum, iaculantium oculi spectabant. Sed nimis contra istos validus eras, non poterant te etiam saucium deijcere. Tu illos sternebas, illi quà poterant damna sua vindicabant. Cum ergo te non possent, equum tuum deiecerunt. Fuit tamen & ille à sessore suo generosior. Nam sexies iam traiectus adhuc dominum suum pugnās ferebat. Septimus illi, per caput, & prope etiam tibi, ictus fatalis fuit. Itaque subitò antrorsum in terram datus, te iam antè non pugnando, sed sanguine plurimo amisso fatigatum ruina sua inuoluit; itaq; super

te ce-

te cecidit, vt durante toto reliquo prælio, haud exiguo ſanè tempore, ſub cruento equo, cruentus ipſe, ac propè exanimis iacere cogereris. Viuus adhuc à iumento tuo moriente ſepeliebaris, nouo genere tumulandi, immo tutandi. Nam niſi equus tuus in hunc modum expiraſſet; actum de te erat, nec nos iam talem ducem ampliùs haberemus. Quippe à tot per te tranſeuntium equorum turmis protritus eſſes, indigno virtute tua fato. Sanguinem igitur tunc etiam fudiſti, vt eo libros inpurpurares: iacuiſti in terris, vt inſtar Antæi fortior ſurgeres: inuentus erectusq́ es à milite, cui Sanctus nomen, clariſsimo indicio, tibi Sanctos ſuccurrere, quos ſemper ſumma veneratione coluiſti: deniq; ſiniſtro

bra-

brachio ſauciatus es, vt omnia poſthac non niſi dexterè aggredereris. Et planè dexterè, cum etiam nunc abſens hoſti nocere nō deſinas. Tria enim illa millia peditum, quorum tu Tribunus es, virtute ſua Oſnaburgenſem Epiſcopatū receperunt, illumq́ Principi ac Epiſcopo ſuo reſtituerunt. Sic per te creſcit Eccleſia. Cur non & honor cultusq́ Virginis MARIAE? *cuius tu ſanctum nomen in ſæuiſſimo prælio cum tuis, ſalutarem teſſeram, toties repetiuiſti? Cuius tu miles, dux, legionarius, vrbisq́ noſtræ inſuper Præfectus, inter tot negotia, Sodalitatem adire, ornareq́ non dedignaris. Ob quas res proinde hæc Academica noſtra Congregatio te viciſſim voluit honorare. Quod quidem ego illius nomine*

mine hoc libro ſum conatus præſtare. Quamuis id alijs quoq; titulis obſtrictus feciſſem. Sic enim templi noſtri ornatum liberalitate tua auxiſti, vt ferè nemo huc Ingolſtadium veniat, qui dona tua non velit videre; nemo qui poſtquam vidit, non debeat admirari. Sed hæc pauca de multis ſufficiant, ſi tamē pauca ſunt, quæ dixi. Vale, & ea, qua erga omnes es humanitate, Labyrinthum *hunc accipe. Ingolſtadij. Anno* 1628. 20. *Iunij.*

APPROBATIO R.P. Prouincialis.

LAbyrinthi laudes, cum Mundi á DEO conditi encomijs expenſas, quas P. Georgius Stengelius, Societatis noſtræ Theologus, de Periculis vitatis conſcripſit, aliquot eiuſdem Societatis Theologi legerunt, cenſuerunt, approbârūt. Quapropter eas Ego Gualterus Mundbrot, Societatis IESV per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Prouincialis, factâ mihi poteſtate ab admodum R.P.N. Generali, Mutio Vitelleſco, typis excudi concedo. In eam rem meâ manu ſubſcribo, & conſuetum Officij ſigillum addo.

Gualterus Mundbrot.

QVæ Ingolstadij, ad Academicos Beatissimæ Virginis Sodales, inter alias varias occupationes, exhortando dixi, ea, sicut primo calamo concepta sunt, sine secundis curis hic affero. Vt afferrem, iussus sum; vt sine secundis curis, vel inuitus afferrem, complura negotia fecerunt. Cur autem iussus sim, caussam si quaris, librum ipsum aperi, & inuenies eadem commodiùs legentibus scribi, quàm audientibus dici potuisse. Non enim poterat in dicendo natiua series & genuinus semper ordo seruari, alio tempore aliud exigente.

2. *Accessit ad hac non paucorũ aliorũ amica coactio. Ita pij sunt mei Sodales rerumq́; diuinarum appetentes, vt eadem legendo repetere voluerint, quæ antea dicendo audierunt. Cur non facerem, quod ipsi volunt & optant; cum eorum in colẽda* DEI *Matre studium tam sit ardens, vt ipsi quoq; faciant, quod ego volo & opto? Habeant ergo me totum, quos habeo totos. Hoc illorum virtuti à me commercium debetur, vt obedientibus obediam, & merentes, quibuscunq; modis possum, honorem.*

3. *Vtinam tantis sanguine, tantis eruditione, tantis virtute, immo tantis & multitudine par essem gratificando! Nam si stemmati honos debetur, sunt inter eos non pauci genere nobiles, familia generosi, parentibus & proauis illustres, & perillustres: quin & dignitate publica, officijsq; summis, seu domi, seu militia aliquam multi eminentissimè fulgent. Si eruditio in homine colenda; sunt eruditi omnes, & nullus, qui non in maioribus studijs litterarum versetur: plurimi autem in tantum doctrina excellunt, vt non solùm eam ob caussam titulis clari, verùm & cathedris apprimè conspicui habeantur. Si virtus veneratione digna; sunt profectò pleriq; tales, vt ab illis exempla meritò capi posint ad imitandum.*

4. *Conuentus Marianos ita sedulò frequentant, vt minùs sit attendendum ad absentes, atq; eos, qui titulo*

tenus

tenus Sodales vocantur, quàm ne sine titulo adsint, quos per leges abesse oporteret. Porrò illi ipsi qui adsunt, ea modestia, ea attentione, ea deniq; adsunt pietate, grauitate, & maiestate, vt qui conspicit diuinam Matrem à tot egregijs cultorib. stipatam, haud absurdè, admirando quærere posit: Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? *&, vno verbo,* decora sicut Ierusalem. *Sic nimirum & sanguinis nobilitas* regiæ Virgini, *& scientia litterarum* speculo sapientiæ, *& ipsa virtus pietatis Magistra seruire in dies semper magis magisq; contendit. Sic illa à Sodalibus culta* progreditur, *& manè, cum sacrificium Missæ audiunt*, quasi aurora consurgens; *& vespere, cum conscientiæ examen animarum noctem illuminat, tenebrasq; discutit*, pulchra vt luna; *& meridie, cum cœtus frequentantur, ad audiendos sermones pios*, electa vt Sol, ; *& domi, cum inter parietes laudatur*, decora sicut Ierusalem; *& foris, quando nocturnis diurnisuè Processionibus eius nomine institutis per plateas & templa decantatur*, terribilis, vt castrorũ acies ordinata.

Cant. 6.9.

Ibid. v. 3.

5. *His rebus fit, vt & ceteri imitationis amore incensi trahantur; & ferè nullus sit, qui se non velit Sodalium numero accenseri; ne inter illos numeretur, quibus virtus displicet, eaq; solùm placent, quæ deberent displicere. Hinc ille tantus Sodalium numerus, hinc tam cõferta multitudo, vt magna illa multaq; misericordiæ Patrona non à magnis duntaxat, sed à multis etiam clientibus ambiatur. Quidquid igitur vel hi soli mei tot nominibus colendi Sodales optant, propemodum nefas ducerem, si denegarem. Atq; hæc sufficiunt, opinor, ad me excusandum, si, quæ dixi vix auditu digna, tam pijs tamen Sodalibus non ingrata, etiam scripsi, vt ab ijsdem petentibus legi possent. Quanquam & multi lecturi sint, qui non audiuerunt: fortasse & illi ad istorum Sodalium imitationem, sua virtutis calore fouebunt, quæ à me*

me frigidè dicta inuenient. Vt enim etiam optimi cibi à venenatis animalibus sumti, in virus transeunt; ita sæpe pessimi quoque, aut certè non optimi libri à probis & doctis Lectoribus in succum optimum conuertuntur. Et fit plerumque in libris, quod in organis Musicis, vbi idē spiritus aliter in fistulis minoribus, aliter in maioribus sonat.

6. *Porrò vt, quod Sodalibus meis iam notum est, etiam tu scias,* LECTOR; *multa* de vitatis & amatis periculis *dixi, plura adhuc indicta seruo, suo tempore dicturus & in lucem daturus; vt, quanta possum opera, mortales* ad pericula vitanda *excitem, & ab iisdem* amandis *dehorter. Scio enim quàm verum sit illud Paterculi:* neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timet: & frequentissimum initium calamitatis esse securitatem. *Sed antè quàm* de periculis Voluptatum, de periculis Sociorum, de periculis Honorum, de periculis Diuitiarum *&c. particulatim dicam, quædam priùs in genere* de vitatis & amatis periculis *proludere placuit. Ea ergo in tres* de Labyrintho *libros distribui; quorum primus hic* Labyrinthi laudes; *alter,* Labyrinthi fraudes; *tertius* Labyrinthi duces *describit. In primo* Labyrinthi laudes cum Mundi encomiis, *in secundo* Labyrinthi fraudes cum Mundi periculis, *in tertio* Labyrinthi duces, cum Mundi, immo DEI auxiliis comparantur. *In primo ostenditur, Vbi, & à quibus, & à quàm multis, quàmque securè pericula sint vitata ac penitus superata? nempe à beatis in cælo. In altero docetur, Quænam sint præcipuæ origines & qui fontes periculorum? In tertio docetur, Quænam, & quàm multa, inter tot pericula Mundi, benignus* DEVS *mortalibus auxilia suppeditârit? Hæc te, bone* LECTOR, *in limine libri scire, me admonere par fuit. Vale & ignosce libro, si minor est* Labyrintho, *quem vel ex libro meo disces tantum fuisse, vt septem mundi miraculis meritò potuerit annumerari.*

Vell. Paterc. lib 2.



LABYRINTHI AB ÆGYPTIIS POSITI LAVDES,

cum

MVNDI A DEO CONDITI ENCOMIIS EXPENSÆ.

Caput I.

LABYRINTHVM ESSE VERAM MVNDI IMAGINEM, PRIMO RATIONE incerti exitus.

§. I. *Varios, vt in Labyrintho, ita & in Mundo esse ambitus & exitus.*



VNDVM istum, in quo mortales immortalesq́;, tanquam in communi domicilio, degunt, varijs reperio rebus esse comparatum. Sed mihi cum nulla videtur aptiùs posse comparari, quàm cum *Labyrintho*. *Labyrinthus* locus est ad delicias & insidias idoneus: in quo *Charites* & *Sirenes*, *Gratiæ* & *Furiæ* regnant. Amœnitas ibi altera super alteram; & admiratio vna aliam excipit. Sed & fallacia alia aliam trudit; ac error errorem ferit. Neq; facilè dignoueris, quinam in eo ambulent, aut errent. I.

A Via

Via vbiq; eſt deuia: & cum nuſquam non poſſit rectè iri, nuſquam deeſt periculum ſeductionis. Quot ianuæ, tot offuciæ; quot oſtia, tot retia: perq; tot exitus, pauciſſimi ſunt, qui exierunt; ſicut nec multi per tot ingreſſus intrauerunt, quô voluêre. Vbiq; patet iter, & nuſquam. Surſum deorſum curritur; & poſt longos labores multi intelligunt, ſe more cancrorum retrorſum veniſſe; quia demum ibi adhuc ſe reperiunt, vbi currere cœperunt. Quippe ita in deceptionem fabricati ſunt doli, vt per multiplices circuitus, inani fatigatione eodem redeatur, vnde initium

II. fuerat circumeundi. Quid aliud eſt iſte Mundus? cuius vel ipſæ elementares partes tam admirabili inter ſe ordine conſeruntur, vt hinc opaci inuijq; ſaltus, inde fontium altæ ſcaturigines, aliunde curui recuruiq; fluminum lapſus; & ſæpe etiam ipſa maria terras intercidentia; æſtuariaq; pedeſtre iter, aut ſaxa aræq; nauigationem impedientia, ac murorum inſtar oppoſiti itineribus hominum montes veriſſimam quandam *Labyrinthi* ſpeciem exhibere videantur. Et quod operi coronidem addit, ipſi in his reb. mortales, ita hinc inde ober-

oberrant; ita per terras, per maria eunt redeuntq́; ; ita per valles currũt, per montes recurrunt; ita partim limine in ipſo deficiunt, partim in alto pereunt, partim in portu demum impingunt; ita in colubros, dracones, leones, tauros & Minotauros, variaq́; monſtra & exitia incidunt; ita etiam ſubinde nec Ariadna ſua carent, aut trama, glomeréue lini; vt ſimillimi ſint ijs, qui tricantur in *Labyrintho.* Vtinam multi ſeſe extricarent, neq; tricis iſtis dies, & annos, & vitam omnem caſſo labore conſumerent! *Cucurrit ætas*, ait S. Hieronymus, *& dum ignoramus, grauiter perimus. Et hoc ipſum quod loquitur, de morte eſt, & non intelligimus. Anni noſtri ſicut aranea* (& ipſa in *Labyrintho* quodam hærens) *meditabuntur. Videte, quid dicat. Quo modo aranea, quæ mittit fila, & huc illucq́ diſcurrit, & texit tota die, & labor quidem grandis eſt, ſed effectus nullus eſt: ſic & vita hominum huc illucq́ diſcurrit. Poſſeſſiones quærimus: diuitias apparamus: procreamus filios: laboramus: in regna ſuſtollimur, & omnia facimus, & non intelligimus, quia araneæ telam teximus*; & velut in *Labyrintho* iter, quod diu confecimus, ſæpe tandem fruſtra retractamus. Simili-


S. Hieron. in pſal. 89.

militudinem ergo exprimimus araneæ per iter aëreum, & in inanes telas ſe ſe exhaurientis, aut eorum qui ambulant in circui-
III. tu & gyro *Labyrinthi.* Nec ipſe Mundus tantùm, & qui in eo huc illuc perplexis vijs commeant, ſimilitudinem hanc *Labyrinthi* exprimunt; ſed & Deus rerum om-
*Prou.*8. 27. nium opifex eandem expreſsit, *quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, ludens in orbe terrarum*, non ſecus atq; Dædala ars in *Labyrintho.* Quocirca etiam homines ita in hunc Mundum immittit, vt nuſquam deſit ambulator. Alios dextrorſum in Galliam, alios ſiniſtrorſum in Italiam ablegat: alios in Auſtrum, alios iubet ire in Aquilonem. Quidam in aulas migrant, quidam in caſtra expaciantur. Nonnulli mercaturam exercent, nonnulli litteraturam. Sunt qui in agris, ſunt qui in ſiluis; ſunt qui in campo, ſunt qui intra mœnia verſantur. In ſumma diuerſi in hoc *Labyrintho* diuerſa ſequuntur; & quanta viarum, tanta viatorum maiorq; eſt multitudo ac diuerſitas, qui *Labyrinthi* iſtius *gyrum* more locu-
*Iſa.*40. 21. ſtarum implent. *Nunquid non ſcitis*, ait Propheta, *nunquid non audiſtis? nunquid nõ annunciatum eſt vobis ab initio? nunquid non intel-*

intellexiſtis fundamenta terræ? Qui ſedet ſuper GYRVM terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ: qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum; hic ſcilicet *gyrum terræ* ad ambulandum, cælos ad inhabitandum fecit, vultq; nos hinc illuc tendere, & tanquam ad cynoſuram noſtram in *Labyrintho* & itinere noſtro ad Deum ſemper reſpicere. Sic enim mox ſubijcit: *Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creauit hæc?* Nempe is, *qui dat laſſo virtutem: & his, qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Itaque IV.
quemadmodum in *Labyrintho* ijſdem vijs alij ducuntur, alij ſeducuntur; ita in Mundo, (in quo profectò non plures deliciæ, quàm inſidiæ, nec pauciora ſunt diſcrimina, quàm compendia) alij inueniũt, quod quærunt; alij & ſe, & id, quod quærunt, amittunt: & quidem ſæpiſſime in eodem genere negotiorum: vt non facilè ſit ſine temeritate pronunciare, ad quem tandem

finem quisq; sit peruenturus. Frequenter enim Deus *dat lasso virtutem: & his, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat*, cum aliquos *circa vndecimam* in vineam suam iam viribus fractis, & *in via iniquitatis lassatos* conducit, rursusq; alios, puerorum instar, vegetos deficere & laborare, aut tanquam iuuenes, qui sibi robusti videntur, *in infirmitate cadere* sinit. Multi enim bene incipiunt, qui malè desinunt: & non nulli optimè desinunt, qui pessimè inceperunt. Habet quippe & cælum suos latrones, suasq; Magdalenas. Habet infernus suos Origenes, suosq; Tertullianos, & fortasse ipsos Salomones, quorum scripta cum admiratione voluimus & veneramur. Illi ex vitijs ad virtutes: isti de veritate transierunt ad vanitatem. Itaq; vbique ante vitæ metam, vel errori locus est, vel emendationi, quemadmodum in *Labyrintho*, ex quo vndiq; perueniri ad finem potest, & vndiq; ab eodem declinari: vt nusquam non sit sperandi locus, aut metuendi.

Matth. 20 6.
Sapient. 5 7.
Luc. 23. 43.



§. II. EX-

§. II. Exemplis docetur, quàm ſint incerti in hoc Mundi Labyrintho ambulantium exitus.

Nam quod inprimis *Labyrintho* Mundum vitamq́; humanam reddit parem, eſt ipſa viarum fallacia & incertitudo. Multi in *Labyrintho* ſibi exitum promittunt, quem non adipiſcuntur. Itaque ſe ipſos ſua promiſſione decipiunt; immo & opinione. Opinantur n. ſe extra callem rectum non eſſe, cum maximè à ſcopo ſuo diuagantur. Sic & in Mundo iſto, *eſt via quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem*: immo *ſpectant in fundum inferni*, vt Septuaginta interpretes legunt. Vſque adeò miſeri mortales incerti ſunt, quò vadant, ſeu cum viuunt, ſeu cum moriuntur. V. *Prou. 16. 25.*

VI. Belliſſimum eius rei exemplum nobis reliquit Phryx ille, à ſapienti morum inſtructione, & ingenioſis Apologorum commentis celeberrimus fabulator. Is, vt in vita eius apud Iſaacum Nicolaum Neueletum legimus, cum à Xantho hero ſuo in balneas aliquando amitteretur viſum, An multa turba adeſſet, quæ lauare cupientem impediret; inter eundum caſu obuium habuit *Iſaac Nicol. Neueletus in Vita eius, quam ex Bibliotheca Palatina edidit.*

 vrbis

vrbis prætorem. Qui cum eum Xanthi esse cognouisset seruum, interrogauit, *Quónam iret?* Curiosa interrogatio dignam retulit responsionem. Siquidem seruus nequaquam seruiliter, sed Philosophica quadam libertate illico respondit: *Nescire se, quò iret.* Hoc tam audaci dicto, immo, vt videbatur mendacio, prætor existimans se contemni, lictoribus, qui eum comitabantur, extemplo mandauit, vt homini peruicaci manus inijcerent, atque captum ad carceres abducerent. Abducebatur iam nouus & inopinatus captiuus, cumque aliquot passus processisset, subitò constitit, & ad prætorem respectans exclamauit: *Vides, ô prætor, quàm rectè responderim, Nescire me, quò eam? Quippe qui & non expectaueram, me tibi in via occursurum, & nesciueram à te mittendum, ab his autem in carceres trahendum. Eo igitur, quò nesciui.* Stupefactus prætor hac promtitudine & argutia respondendi, captum liberum dimitti iussit, quòd ab eo certior factus esset, de incertitudine viarum humanarum. Nimirum hoc est, vniuersi mortales, tanquam in *Labyrintho* incedimus, & sæpe venimus, quò minimè cogitamus; quoque tendimus,

mus, nequaquā attingimus. Occurrunt VII.
& in ſacris hiſtoriæ multæ, quæ poſſunt
eſſe documento. Sic n. & Ionas Prophe- *Iona cap.*
tes in Tharſis, quò nauigare inſtituit, ad- *1. & 2.*
uerſantibus ventis, & tempeſtate à Deo
immiſſa, non peruenit. In ventrem piſcis
peruenit, de quo nunquam ſomniauit;
tandemque in eam ipſam Niniuen, quam
velis remiſque fugerat, eſt reportatus. I-
taque inter fluctus & aquarum vortices
ſuum expertus eſt *Labyrinthum*. Ac ne ad
ſimilitudinem quidquam deeſſet, cetus
illi fuit pro Minotauro. Talem *Labyrin-* VIII.
thum ingreſſus eſt & Pharao, cum mare in-
gredi auſus eſt. Etenim eo ipſo curru, quo *Exod. 14.*
ſe exiſtimauit ad victoriam atque trium- *24.*
phos vehi, vectus eſt ad interitum; vt per-
iret, dum perdere cogitaret. Scilicet &
illa erat talis *via, quæ videtur homini recta,* *Prou. 16.*
& nouiſſima eius ducunt ad mortem. Cur non *25.*
viſa fuiſſet via recta, per quam Iſraëlitæ
omnes indemnes præceſſerunt? Sed via
illa recta fuit rectis, Pharaoni *Labyrinthus*
extitit. *Diuiſaq́ue eſt aqua, & ingreſſi ſunt filij* *Exod. 14.*
Iſraël per medium ſicci maris: erat n. aqua qua- *21.*
ſi murus à dextera eorũ & læua: perſequenteſq́ue
Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equita-

A 5 tus,

tus Pharaonis, currus eius, & equites, per medium maris. Eodem igitur loco alij inter aqueos parietes, alij inter aqueos casses incesserunt: *& in spiritu furoris* Domini *congregatæ sunt aquæ: Stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari. Dixit inimicus: Persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium, interficiet eos manus mea. Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt, quasi plumbum in aquis vehementibus.* Non hoc sperârat Pharao. Igitur via illi sua videbatur recta, *& nouissima eius* duxerunt *ad mortem*, immo & spectarunt *in fundum inferni.* Nam *abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum, quasi lapis*; quin & plus quàm lapis, quia infra profundum descenderunt *in fundum inferni.*

Exod. 15. 8. — *Prou.* 16 25. — *Exod.* 15. 5.

IX. Absolon quoq; conciliato populari fauore, ad gloriam sibi grassari videbatur, nec ab eius apice procul abesse, cum subitò de quercu sublimis pependit, ipsa capillatura, quæ formosè volitans illi pro diademate erat, in restim facta. Forsitan & illa via Absoloni recta videbatur, cuius tamen nouissima illum duxerunt ad mortem; sicut in *Labyrintho*, vbi illud ipsum iter,

2. *Reg.* 15. & 18.

ter, quod ad dexteram videtur tendere, repente deflectit ad sinistram. Quid Aman ille gloriosus *filius Amadathi*, quem rex Assuerus exaltauerat? nonne & ille vtramque in hoc *Labyrintho* fortunam, præter opinionem suam, celeriter est expertus? Euectus erat supra omnes mortales, solo rege inferior. Quàm repentè omnem gradum honoris recalcauit? Tetenderat ad conuiuium reginæ lætus ac plenus gloriarum; quàm tristis & ignominiæ plenus mox recessit? *Intrauit rex & Aman*, ait scriptura, *vt biberent cum regina.* Quàm tum nesciuit Aman, quò intraret? Via illa, via gloriæ, via voluptatis, via recta, atque ex animi sententia videbatur, *& nouissima eius* duxerunt *ad mortem.* Itaque dum ciatho inhiauit à Gratijs temperando, bibit poculum furoris. Fortasse & inebriatus est, ne sobrius moreretur. Certè prosperi eum successus inebriauerant, ne animaduerteret fortunæ volubilitatem, & inconstantiam humanæ felicitatis. Aliò igitur Aman in hoc Mundi *Labyrintho* voluit, aliò venit, sicut & plurimi alij vitiorum sectatores. Quin neque ij quidem, quos virtutis schola enutriuit, semper

X. *Esther. 3.1.*

Ibid. c. 7. 1.

XI. *Eod. cap. & seqq.*

per proſpiciunt, quò in *Labyrintho* iſto progrediantur. Mardochæus enim qui Amani lancea in oculis erat, altiſſimam ſibi crucem paratam eſſe ſciebat, iamque nihil aliud expectauerat, quàm vt duceretur. Ecce tibi ſubitò via à patibulo ad honores deflectit; & totius tragœdiæ facie repentè mutata, nouus Fortunæ pupillus non collum laqueo, ſed digitum annulo inſerere iubetur, cum quo totius domus accepit poteſtatem. Vt ergo in eodem *Labyrinthi* orbe alius rectè graditur, alius in errores inuoluitur; ita eodem annulo Aman meruit ſuſpendi, quo Mardochæus triumphauit. Vterque præter expectationem.
XII. Quod & alijs contigit. Siquidem caſtiſſimum illud lilium & flos innocentiæ Ioſephus in ſeruitutem, in vincula, & tantùm non in extremam perniciem iuit; ea tamen ipſa via illi ad gloriam fuit. Quapropter cum maximè à felicitate aberraſſe crederetur, felicitatem maximam eſt conſecutus. Atque illi ipſi eius fratres, qui antea eum, tanquam domini, commune quoddam mancipium vendiderunt; poſtea reflectente ſe orbita Fortunæ, eundem ſeruiliter adorauerunt.

Gen. 39. 19.

Saul

Saul quoq; ignorauerat, quò eum pedes ferrent, cum totus in eo esset, vt perditas asinas quæritaret. Iumenta quæsiuit, regna inuenit; & cum in re vilissima patri seruiret, vniuerso Israëli cœpit dominari. Sed etiam alter ille Saulus *spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem. Et cum iter faceret, contigit, vt appropinquaret Damasco, & subitò circumfulsit eum lux de cælo.* Ita qui exierat vt prædator, præda Christi factus est; & eum ipsum gregem auxit, quem constituerat depopulari, ex lupo ouis, ex Saulo Paulus, ex errante talis, qui iam ipse reduceret errantes.

XIII. 1. Reg. 9. 3. Act. 9. 1.

§. III. In omni genere vitæ ac morum varios esse, tanquam in Labyrintho, flexus & reflexus.

Hæ viæ sunt *Labyrinthi* in hoc Mundo, immo ipsius Domini, *qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt,* multosque sæpenumero ex medijs erroribus in viam atque ad frugem reducit: vt meritò inuerti illud possit, & dici: *Est via, quæ videtur*

XIV. Rom. 4. 17. Prou. 16. 25.

detur homini iure mala, *& nouissima eius ducunt ad vitam;* non ob conditionem viæ, quæ alium exitum spectaret, sed ob singularem Dei bonitatem. Qui etiam iustissimis de caussis non rarò alios exerrare sinit, & pessum ire, dum præteritæ virtuti nimium fidentes sibi iam limen videntur attigisse sanctitatis. Ita in vtramque partem viæ recurrunt. Quàm enim multi sunt, qui ætate & licentia abusi virtutem, nomen, famamque suam omnem sub hasta vendiderunt, & publicis etiam passim sermonibus digitisq; monstrantium, tanquam exemplar quoddam habentur impietatis? immo qui ipsi se, vt publicum quoddam nequitiæ prototypon, & velut vitiorum omnium lenones proiectissimè exponunt imitandos; ac veluti Saulus aliquis *spirans minarum & cædis in discipulos Domini,* quasi ad id mercede conducti, ita secundùm bonam legem viuentes, noctes diesque, domi & foris, lingua & ferro acerrimè persequuntur destinantq; ad cõtumeliam, ad inuidiam, ad lanienam? Et tamen hi ipsi quoties de cœlo afflati, & diuino lumine percussi Saulum mutant in Paulum? quique antea vix quatuor digitis à Rha-

Act.9.1.

à Rhadamanti catasta remoti erant, vnico temporis momento lucem de cœlo accipiunt, à qua ex luto in pratum diriguntur; moxque se in via recta reperiunt, quam ipsi non optauerunt? Vt verum sit illud: *Jnuenerunt, qui non quæsierunt me. Ecce ego, ecce ego, ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Quare sicut inter *Labyrinthi* ambages, ex eadem via alij dextrorsum, alij sinistrorsum feruntur, ac rursum alij è diuersis vijs in eodem angulo concurrunt; ita in hac vita ex eodem statu, eodemq; negotio alij ad virtutem, alij in vitia declinant; rursumq; alij è diuersissima occupatione & occasione ad eundem viuendi terminum pertingunt. Isa. 65. 1.

XV. Similes sumus naui, quæ è portu in Orientẽ soluit, sed à vento reijcitur in Occidentem; aut dum Occidentem petit, à procella vehitur in Orientem. O quoties diuina sapientia *ludit in orbe terrarum*, sicut in Oceano venti? Nam etiam hic *Spiritus vbi vult, spirat: & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Quoties itinera hominum in gyrum vertuntur? & qui Prou 8. 31. Io. 3. 8.

sursum

ſurſum emergere cupiunt, felici infortunio rapiuntur deorſum? vt humiles ſeruentur, qui in alto perijſſent? Quoties alta quæruntur, & patibula inueniuntur, quæ non quæruntur? Quàm ſæpe, qui currunt ad ſolium, incidunt in laqueum? aut qui ambitione tyrannica affectant coronam, caput amittunt, vt non habeant, vbi coronam imponant?

XVI. Quot adoleſcentes ſpectato iuuentæ flore, conſideratiſque vernantis ætatulæ annis, aut vegeti corporis viribus æſtimatis, dum ſecula cogitant, dum Neſtoris canitiem ſperant, dum ſecuriſſimè incedunt, & à nulla ſe re, quàm à ſepulchro remotiores exiſtimant; ex improuiſo in media ſecuritate vulnus accipiunt, & viam vniuerſæ carnis ingrediuntur? Quàm multi opum cupiditate flagrantes, illis ipſis vijs & modis, quibus diuitias aucupantur, ſentiunt ſe ad incitas redactos & ad extremam paupertatem? Itaque ſæpe in hoc Mundo, tanquam in vero *Labyrintho* contingit, vt ab itinere virtutis, in latam viam vitiorum; ab itinere autem & ianua, quod dicitur Charontis, ad Elyſios campos declinetur: ſæpe, vt qui ſe exiſtimant ad aureos tendere

re

re montes, ad pontes perueniant, vbi stipem ac panem mendicent: sæpe, vt qui titulos & honores tota ambitione indagant & venantur, illis ipsis technis, quibus extolli cupiunt, ad infamiam, ad dedecus, ad ignominiam sempiternam perducantur. Quid est hoc aliud, quàm in *Labyrinthi* flexibus ire, redire, perire?

§. IV. *Nec luculentas deceptiones Labyrinthi deesse quibusdam in Mundo, cum falsa persuasione, ambulantibus.*

Non satis est *Labyrintho*, quòd ita sit structus, vt in eo versantes nesciant, XVII.
quò sint peruenturi; aut vt nesciendo errent: multi in eo, etiam dum errant, errorem suum amant, quasi bene ambulent; quod genus errandi est maximè periculosum. Cum enim præstet mutare consilium in melius, quàm in malè institutis pergere, pauci inueniuntur ita excordes, vt agnito errore non iudicent, satiùs esse recurrere, quàm currere malè. At qui, etiam dum errant, recta se incedere via arbitrantur, raròpossunt, certè vix vnquam volunt emendare errorem, quem errauerunt. Hæc, prô dolor, deceptio in via XVIII.
quoque spirituali reperitur, in qua non

ſolùm multi errant neſcientes ſe errare, ſed etiam plurimi ſunt, qui pertinaci iudicio errorem ſuum cenſent eſſe veritatem. *Eſt via, quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem.* Quàm verè illi in *Labyrintho* ambulant, qui viam mortis, viam vitæ eſſe exiſtimant? Tales ſunt omnes illi, quorum animus in malum impotenter propendet. Nam amore rei concupitæ excæcati, id quod prauum in ea atque diſtortum eſt, videre non poſſunt. Talis ergo illi videtur, qualis eſt in affectu illius, per quem eam aſpicit: ſicut & illis, qui per vitrum cæruleum tranſpiciunt, omnia cæruleſcunt. *Nam voluntatis propenſio*, vt Sanctus Auguſtinus ſcribit, *authoritatem vitijs quærit, & quod malum eſt, bonum, aut bono proximum eſſe ſuadet.*

Prou. 16. 25.

S. Auguſt. in Serm. 12. de tēpore.

XIX. Hinc fit vt plurimi ſibi de ſecuritate blādiantur, cum in medio ſunt periculorum. Plurimi enim habendi cupiditate excæcati perſuadent ſibi, ſuas lites eſſe iuſtas, ſuam cauſſam æquam in illis ipſis rebus, quibus lex & æquitas, & ipſa mater Themis vocaliſſimè reclamat. Vnde non immeritò ſcientiſſimus iudex minatur: *Ego iuſtitias iudicabo*; illas ſcilicet, quæ hominum arbitrio

Pſal. 74. 3.

bitrio iuſtitiæ, Dei autem iudicio ſunt iniquitates. Prouerbium vetus eſt, *De ligno pulchro etiam ſtrangulari conuenit*, quaſi minùs miſerum ſit ſuſpendium, ſi ex arbore pendeas inſigni: aut quaſi bonum ſit demergi, ſi in lucida puraque te aqua demerſeris. Pulchrum lignum, eſt pulchrum in populo habere nomen. Hoc igitur vt conſeruetur, quàm multis *via recta* videtur, cuius *nouiſſima ducunt ad mortem?* Ne enim timidi videantur, morti ſe temerariæ exponunt; immo ſibi inimicitias, rixas, prouocationes, duella, vulnera, funera eſſe licita & glorioſa affirmant; quaſi honeſtum, aut licitum eſſe poſſit, quod Deus, quod natura, quod ratio ipſa interdixit. Sed illis ea via recta videtur, quia de rectitudine æſtimanda affectum, non intellectum interrogant. Quemadmodum etiam illi, quos delicata caro, & nimius corporis amor ac philautia fallit. Hi enim imbecillitatem cauſſantur, dum ſe à vigilijs, à ieiunijs, à cilicijs, à flagellorum ictibus, à caſtigatione carnis, atque ab omni opere aſpero inaniſſimè excuſant. Quaſi illis ſolis Deus velit, pro ſpinis, in viam roſas ſpargere; & qui filium

XX. *Ariſtoph. in Ranis.*

XXI.

Luc. 24. 27. ſuum vnigenitum voluit pati, *& ita intrare in gloriam ſuam*, iſtos tales (odio potiùs, quàm dilectione dignos) à cruce cupiat exemptos. Niſi fortè intellectu adeò ſunt Bœotico & craſſo, vt putent, ipſas delicias eſſe rectam ad cœlum viam: aut certè niſi cenſeant illos rectam minimeq; deerrantem viam tenere quibus omnia feliciter in hac vita proſpereq́ue cadunt. Sunt enim homines, qui ex felicitate humana, de viæ vitæq́ue rectitudine iudicant, illoſq́ue ad beatitudinem tendere credunt, quibus omnia ex animi ſententia eueniunt; tanquam ſi malis non queat eſſe benè, aut bonis malè. Igitur etiam iſti in *Labyrintho* circumeunt, cuius *nouiſſima deducunt ad mortem.* Quippe terrena felicitas ſæpius deſinere ſolet in infelicitatem; & ſicut ſerenitas maris plerumq́ue excipitur à tempeſtate, ita vitæ huius proſperitas plerumque exitum portendit turbulentum. *An tu hunc fælicem vocas*, ait Euſebius Emiſſenus, *qui in mortem ſuam fortis eſt: cui prouentuum fallax vmbra præſentium, æternorum congregat cauſſas malorum? Quis probabiliter laudet velocem ad ardua præcipitia feſtinantem? Quis eius miretur aſcenſum,*

Euſeb. Emiſſen. in homil. de S. Epiphoro & Alexandro.

quem

quem de ſummo proſpicit eſſe caſurum? Non eſt ergo via recta vitæ præſentis felicitas, cuius *nouiſſima ducunt ad mortem.* *Nouiſſima* ait, non *nouiſſimum.* Quia vt aliàs ſæpe vna via in multas ſecatur, ita ab vnius vitij errore multi naſcuntur errores: & vnica frequenter proſperitas non ad vnum, ſed ad multa exitia trahit. Quod vel Seneca aduertit, cuius hæc ſunt verba: *Res inquieta eſt felicitas, ipſa ſe exagitat, mouet cerebrum non vno genere vitiorum: ſed alios in aliud irritat: hos in potentiam, alios in luxuriam, hos inflat, hos mollit, & totos reſoluit, aliquos ad omnia vitia impellit.* Hæc cauſſa eſt, ob quam multis initio ſua peruerſa via recta videtur, quia error non ſtatim ſe prodit, ſed ſicut ſemen quod in terram iactatur, cum tempore creſcit, & apparere incipit. Quando enim paruus eſt error, facilè oculos mentis fugit. At quò longiùs procedit, eò maior, adeoque etiam manifeſtior euadit. Siquidem vulgatum eſt illud: *Paruus error in principio, magnus in fine.* Hinc quanquam etiam initium viæ malæ iam ad mortem ducere incipiat, nouiſſima tamen potiſſimùm dicuntur ducere ad mortem, quia tunc demum error

XXII.

Senec. epiſt. 36.

 agno-

agnoſcitur, cum eum magnitudo ſua ma-
XXIII. nifeſtat. Quod multis etiam hæreticis contingit, quibus iudicio proprio nitentibus, perniicioſa ſua opinio & peruerſum dogma, ob quandam rectitudinis ſpeciem recta nonnunquam videtur via, cuius tamen *nouiſſima* ad mortem & barathrum perducunt; & quidem adeò tandem perſpicuè, vt non pauci cogantur vel inuiti aſpicere abſurditatem in quam deuenerunt. Rectitudinis autem ſpeciem via illorum inde trahit, quia quiſque hæreticus ſuam exiſtimat doctrinam eſſe doctrinam diuinarum litterarum, quæ errare non poſſunt. Sed ſi cuique licet exiſtimare, quod libet, quàm in multas vias diuinæ litteræ, & eas quidem contrarias, findentur? Quo pertinet Hebræus textus in quo legitur: *Eſt via recta ad facies viri, & nouiſſimum eius via mortis.* Eſt enim ea fuitque ſemper hæreſis conditio, vt ab vno aliquo errore, atque ab vna ſecta pullulare incipiat, & mox in plura capita, velut Hydra aliqua, diuidatur. *Nam quod in viis ac fluuiis comperire licet*, ait D. Gregorius Nazianzenus, *quòd in diuerſum tendentia findantur: eadem verò in ſe ipſa conuertantur, & confluant:*

Prou. 16. 25. & Prou. 14. 12.

S. Gregor. Nazian. orat. 3. de Theologia.

ant: hoc ipsum & hîc, pro impietatis immanitate contingit, vt Hæretici in quibusdam conueniant, in plerisque dissideant, & secentur. Et tamen omnes opinionem suam se è sacris paginis haurire arbitrantur. *Est* ergo *via* illorum, quæ miseris *videtur recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.* Hoc est, omnes hæreticorum doctrinæ sunt mortiferæ animamque occidunt, tandemque & ipsa eorum nouissima, hoc est, mors & iudicium, ducunt ad mortem æternam. Vsque adeò in Mundo, velut in *Labyrintho*, non tam ambulant, quàm errant. Atque vtinam hæretici tantum sic errarent! Multi ètiam orthodoxæ fidei filij, sed qui non secundùm fidem suam ambulant, dum sibi cœlum promittunt, repentè sentiunt se ad Orci domum peruenisse. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi; quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Nam quidquid etiam propter animæ salutem agere videntur, nolunt agere sine corporis commoditate. Clericatus, presbyteratus, canonicatus ad Dei gloriã institutos non pauci ventris caussa venan-

XXIV.

Phil.3.19.

tur; quarum etiam rerum multos titulos habere non Ecclesiæ, ſed culinæ neceſſarios, eſt *gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Denique ſemper ad ſua emolumenta reflectuntur, de cœlo in terram relabentes, vt oſtendant, quàm verum ſit
Pſal.11.9. illud: *In circuitu impij ambulant*; velut Hiperi vertigo, & piſtillus, qui tam diu alia aliaque tundendo circumuoluitur, donec & ipſe atteratur. Quare & iſti peracto vitæ curſu ſæpe ſerò intelligunt, ſe *dilexiſſe vanitatem & mendacium quæſiuiſſe*; veriſſimeque propria perſuaſione deceptos eſſe, quemadmodum illi decipiuntur, qui in *Labyrintho* non tantùm pedibus, ſed etiam iudicio errant, exiſtimantes tunc ſe maximè ad ſcopum accedere, cum ab eo maximè recedunt; dexteram viam pro ſiniſtra, aut ſiniſtram pro dextera arripientes.

§. V. An & quomodo incertæ Mundi viæ erroresq́ diuinam gloriam manifeſtent?

XXV. Quanquam non eſt diſſimilandum, hoc eſſe inter *Labyrinthum* & Mundum diſcrimen, quòd in *Labyrintho* nolentes ſeducantur, in Mundo autem nemo niſi volens. Eſt enim & hoc illuſtriſsimum diuinæ bo-

næ bonitatis atque ſapientiæ argumentum, quòd in Mundi huius *Labyrintho* ſic ludat, vt nulli illudat. Tam ſapienter enim *Labyrinthum* ſuum condidit Deus, vt in eo, inter tot vias, errare homo poſſet, non deberet; idque illi magno honori eſſet, ſi cum poſſet, non erraret. *Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi gloria æterna: qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit: ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Eccli. 31. 10. Vt ergo poſſet errare, libertatem dedit, non neceſſitatem Deus. XXVI. Immo & auxilia & duces dedit ei benignus Creator, vt ſi illos ſequeretur, non erraret, ac inſuper etiam obedientiæ laudem mercedemque reportaret. Quos profectò vix vllus hominum ſequi vellet, niſi errare poſſet; ſicut & nemo ſequitur, niſi velit. Si autem velit, iam dignus eſt præmio, vt dixi. Vnde diuina ſapientia ſic Mundum hunc procreauit, vt dum eſt occaſio peccati, pariter cauſſa ſit præmiorum. Nec adeò quidquam in eo occurrit, per quod homo ad cœlum non poſſit peruenire, Deumque opificem laudare. Quanquam etiam nihil adeò ſanctum eſt, in quo Deum non

offendat, eiusque iram mereatur, si cæco impetu ruat. Siquidem cæcitas vltronea
Lactant. lib. 6. diuinar. Instit. cap. 5. est, & neminem excusat. *Nam ferè etiam ij, qui peccant,* ait Lactantius, *& si non perfectè, tamen quid sit bonum, & malum sentiunt; & quoties aliquid improbè faciunt, peccare se sciunt, & ideò celare nituntur. Sed cum eos boni & mali natura non fallat, cupiditate mala vincuntur, vt peccent; quia deest illis virtus, id est, cupiditas recta & honesta faciendi.* Atque hanc ipsam ob caussam sunt pœnæ
XXVII. digni. Siue igitur errent, siue recta semita incedant mortales, semper Numinis inde virtus & gloria celebratur. Si errant, quia culpa sua errant, iustum esse Numen docebunt, eiusque iustitiam facient manifestam. Si quò debent, tendunt, bonitatis & sapientiæ infinitæ thesauros sunt laudaturi; vt qui aliunde inter tot casus & rerum discrimina euadere non potuissent. Interim dum quasi in ambiguo & ambage ambulant, ac nesciunt *amore, an odio digni sint*, saluberrimo timore, tanquam freno quodam, aut fibula modestiæ coërcentur. Hæc est diuina sapientia Creatoris omnibus creaturis immixta, vt eæ nunc quidem bonitatem, aliàs autem æquitatem, sem-

per

per verò prouidentiam & laudem Conditoris sui manifestent. De hac Tertullianus loquens ait : *Si necessaria est Deo materia ad opera mundi, vt Hermogenes existimauit, habuit Deus materiam longè digniorem & idoneiorem , non apud Philosophos æstimandam, sed apud Prophetas intelligendam, Sophiam suam scilicet. Hæc denique sola cognouit sensum Domini. Quis enim scit quæ sunt Dei, & quæ in ipso, nisi spiritus qui in ipso? Sophia autem spiritus, hæc illic consiliarius fuit, via intelligentiæ & scientiæ ipsa est. Ex hac fecit, faciendo per illam, & faciendo cum illa.* Quæ proinde de se ipsa ait : *Quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyssos: quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore ; ludens in orbe terrarum.* Si ergo laudantur *Labyrinthi* palacia, tanquam sapienter ædificata ; laudentur & cœli, quibus ipsa increata sapientia aderat præparandis : Si celebrantur *Labyrinthi* viæ pulcherrima arte

Tertul. aduers. Hermog. cap. 18.

Prou. 8. 27.

XXVIII.

in se

in ſe currentes & recurrentes; celebrentur & abyſsi, quibus ipſa cœleſtis ſapientia aderat, quando *certa lege & gyro* vallabantur: ſi memorantur & decantantur *Labyrinthi* tecta, parietes, & fundamenta; memorentur & decantentur etiam mundi encomia, nam aderat diuina ſapientia, *quando* Dominus *æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ:* tunc enim æterna ſapientia *cum eo erat cuncta componens*, quantumuis ſciret, *creaturas Dei in odium* futuras, *& in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*; ſicut circuitus & perplexitates in *Labyrintho* inſidiantes. Sed de *Labyrinthi* Mundique periculis alio à me libro pleniùs agetur. Nunc in hoc volumine, quia *Labyrinthi* nomen plerumque ſolet eſſe malè ominatum, & putatur nihil laudis continere, ea exponam, quæ in eo ad haud exiguam gloriam fuerunt: vt perſpicuum fiat, etiam rerum machinatorem & conſtitutorem Deum, ob creatum Mundi iſtius *Labyrinthum*, non modò accuſari non debere, ſed

Sap.14.11.

etiam

etiam vel maximè esse prædicandum. Neque enim pericula Mundi ignorauit, qui cum Deum laudare vellet, dixit: *Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti: Aquilonem & mare, tu creasti.* *Ps.88. 12.*

Caput II.

MVNDVM ET LABYRINTHVM SECVNDO ESSE IN HAC RE PARES, QVOD FACIANT AD AVCTORVM SVORVM MAIESTATEM.

§. I. *Per Mundum Mundi auctorem; per Labyrinthum verò Mundum cognosci posse.*



Egyptij, apud quos humanæ sapientiæ schola primùm nata dicitur, cum diuinæ naturæ immensitatem ingenij sui angustijs comprehendere non possent, quasi faterentur, Deum *inhabitare lucem inaccessibilem*, dictitabant, primum omnium principium tenebras esse, supra omnem intellectum positas. Quocirca etiam in sacris ceremonijs, cum Deum de more ter vocare vellent, *incognitam caliginem* ter vocauerunt. Hunc ergo absconditum vel, vt Athenienses in ara scripserunt, *ignotum* I. *1.Tim.6. 16.* *Act.17.27.*

Deum

Deum per Mundum, Mundum per nobilem quandam figuram conabantur cognoſcere. Nam in arcanis ſuis myſterijs, vt refert apud Euſebium Porphyrius, eiuſcemodi figuram inducebant. Dei, quem Ægyptij *Cneph* appellant, imaginem *humana forma* depinxerunt, *colore cæruleo, qui Zonam teneret, ac ſceptrum, pennamq́ in capite geſtaret. Ouum ab ore producebat. Ab ouo rurſum Deus enaſcebatur*, quem Ægyptij *Phta*, Græci *Vulcanum* nuncupant, Latini *Ignem* nominauerunt.

Euſeb. lib. 3. de præpar. Euãg. cap. 3.

II. Pauca iſtius figuræ exponit Porphyrius: mihi per eam plurima videntur fuiſſe ſignificata. Nam quẽ Porphyrius Κνὴφ vocat, Iamblicus legit *Emeth*; quod nomen, apud Hebræos, nomen eſt *veritatis*. Cuius autem, niſi ſummæ? Nempe illius, de qua Ioannes ſcribit, *Chriſtus eſt veritas:* & quæ de ſe ipſa ait, *Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Hæc ſapientia, iſta veritas meritò forma humana effigiatur. Iſtud enim ſapientiſſimum, veraciſſimum veriſſimumque *Verbum caro factum eſt*, cum Deus *in ſimilitudinem hominum factus & habitu inuentus eſt, vt homo.* Non tamen qualiſcumque homo, ſed *de cælo cæleſtis*; quia ſimul

Iamblic. de myſterijs titul. Opinio Ægypt.
1. Io. 5. 6.
Eccl. 24. 5.
Io. 1.
Phil. 2. 7.
1. Cor. 15. 47.

ſimul & Deus eſt. Hinc cœli, hoc eſt, *colore cæruleo* pingitur. Quin & ab hoc rurſum Deus ignis, vti & à Patre, procedit, Spiritus nempe ſanctus, quem, tanquam viuificum *ignem venit mittere in terram.* *Luc.* 12. 49. Zonam quoque tenet. *Omnia enim*, vt Plato ait, *quotquot ſunt animalia intelligibilia, ille in ſe complexus ſeruat atq; continet; non ſecus ac mundus nos, & omnia creata, quæcunq; cernuntur, ſuo ambitu cingit.* Vnde Timæus Pythagoricus *Deum*, ait, eſſe *mundum exemplarem.* De ſceptro nemo dubitat. *Data eſt* enim ei *omnis poteſtas in cœlo & in terra.* *Matt.* 28. 18. Symbolum *pennæ* Porphyrius docet poni, propter obſcuram Dei cognitionē. Quæ interpretatio, alia interpretatione indiget. Quid ſi *penna* illa innuat, tam pauca cognoſci de Deo, vt adhuc longè, immò infinities plura ſuperſint de eodem haurienda & ſcribenda? In quem ipſum ſenſum Euangelio ſuo hæc vltima verba ſubijcit S. Ioannes: *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* *Io.* 21. 24. Ac

III.

ne

ne quis oratoriè id dictum existimet, mundum ipsum fecit Iesus, quà Deus, cuius si omnes laudes scribantur, vtiq; mundum excedent, cum conditor eius excedat, tanquam artifex opere suo longè maior. Qui cum ab intellectus nostri caligine non possit in totum cognosci, per figuram quandam, perque opus suum est à nobis cognoscendus. Atque idcirco per *ouum*, quod ex ore produxit, mundum visibilem significari affirmat Eusebius ex Pythagoræ philosophia. Pythagoras enim testam *oui* cœli omnia cingentis & tegentis imaginem; *vitellum* ignis; *spiritus*, qui sunt in *ouo*, aëris; *albumen* aquæ; terræ porro, partes magis concretas symbolum esse dictitabat. Per hunc igitur Mundum Deus auctor Mundi est à nobis cognoscendus. Quod nec Apostolus tacuit, cum doceret, Deum seipsum hominibus manifestasse:
Rom. 1. 20. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles.* Ergo per mundum Deus, per quid autem Mundus est cognoscendus? Per eum, de quo supra dixi *Labyrinthum:* ac præcipuè per illum, quem Ægy-

ptij

ptij habuerunt. Quanquam enim & alij tres *Labyrinthi*, *Creticus* Dædali ingenio, *Lemnius* columnarum nitore, *Italicus* Porsennæ regis Hetruſcorum ſepulchro, nobiles memorentur, fuit tamen *Ægyptius* iſte propter notam Mundi atque Ægypti affinitatem ad hanc rem, quam paro, aptiſſimus, &, vt Plinius loquitur, portentoſiſſimum *humani ingenij opus*. Is ſiquidem *Labyrinthus* & numero ædium, & ſecuritate regiarum, & amplitudine murorum, & lapidum ſtructura, & viarum fallacioſiſſimis Mæandris prorſus ſupra omnes ceteros admirabilis extitit. Et *hinc vtique*, ait Plinius, *ſumſiſſe Dædalum exemplar eius Labyrinthi, quem fecit in Creta, non eſt dubium; ſed centeſimam tantùm portionem eius imitatum, quæ itinerum ambages occurſusq́ ac recurſus inexplicabiles continet: non (vt in pauimentis puerúmue ludicris campeſtribus videmus) breui lacinia millia paſſuum plura ambulationis continentem, ſed crebris foribus inditis ad fallendos occurſus redeundumq́ in errores eoſdem.* IV.

Plin. lib. 36. Nat. hiſt. c. 13.

Plin. ibidem. Et Diodor. Sicul. lib. 1.

§. II. Ægyptius Labyrinthus variè à varijs deſcriptus.

Secundus hic fuit ab Ægyptio Labyrinthus, ait ibidem Plinius: *tertius in Lemno: quartus* V.

in Italia. Omnes lapide polito fornicibus tecti: Ægyptius (quod miror equidem) introitu, columnisq́ reliquis è molibus compositis, quas dissoluere ne sæcula quidem possint, adiuuantibus Heracleopolitis, qui id opus inuisum mirè infestauêre. Positionem operis eius, singulasq́ partes enarrare non est, cum sit in regiones diuisum, atq; in Præfecturas (quas vocant nomos) sedecim, nominibus earum totidem vastis domibus attributis: præterea templa omnium Ægypti Deorum contineat, superq́ * Nemeses quindecim ædiculis incluserit pyramides complures quadragenarum vlnarum, senos radice muros obtinentes. Fessi iam eundo perueniunt ad viarum illum inexplicabilem errorem. Quin & cœnacula prius excelsa, porticusq́ ascenduntur nonagenis gradibus omnes: intus columnæ de porphyrite lapide, Deorum simulacra, regum statuæ, monstrificæ effigies. Quarundam autem domorum talis est situs, vt adaperientibus fores, tonitruum intus terribile existat. Maiore autem in parte transitus est per tenebras: aliæq́ rursus extra murum Labyrinthi ædificiorum moles, pteron appellant. Inde aliæ perfossis cuniculis subterraneæ domus. Refecit vnus omnino pauca ibi Circammon spado Nectabis regis, ante Alexandrum Magnum annis

* Amasis.

annis quingentis. Id quoque traditur, fulsisse trabibus spinæ oleo incoctæ, dum fornices quadrati lapidis assurgerent. Eundem Labyrinthum Strabo sic depingit : *Posthæc est labyrinthi fabrica, opus haud impar Pyramidibus, & adiacens regis sepultura eius, qui labyrinthum construxit. Locus autem in primo fossæ ingressu ad triginta, quadragintaúe stadia procedenti, est planities quædam edita, quæ vicum habet, & multorum regum regiam, quot priùs præfecturæ erant. Nam totidem aulæ sunt, cum circumcolumnijs inuicem continuæ, quæ omnes vno ordine & vno pariete, tanquam paruo quodam muro, præiacentes aulas habent. Viæ verò, quæ ad eas tendunt, ex aduerso sunt ipsius muri. ante ingressus cryptæ quædam multæ ac longæ, quæ inter se vias flexuosas habent, vt nemo peregrinus ingredi aulam vllam possit, nec egredi sine duce. Et quod admirandum sit, cuiusque domus tabulata, ac etiam cryptarum latitudines ex lapideis pluteis integris, & magnitudine excellentibus confectæ sunt, nulla vsquam nec ligni, nec alius materiæ admixtione. Ac si quis in tabulatum ascendat, quod non admodum altum est, vtpote vnum, videre potest lapideum campum, eiusmodi lapidibus instratum. Hinc iam in aulas egressus, videbit*

VI.
Strabo de situ orbis lib. 17.

deinceps eas XX. & VII. ordine positas, & ab integris columnis sustentatas, parietes quoque ipsos ex lapidibus non minoribus compositos. In fine huius ædificij quod plus stadio occupat, est sepultura quædam, pyramis quadrata, cuius quodlibet latus quadrijugerum ferè est, & altitudo par. Sepulti nomen est Imandes. Dicunt tot aulas ibi factas esse, quot mos esset omnes præfecturas eò conuenire, atque epulum quoddam sacris viris ac mulieribus fiebat, sacrificij gratia Deo reddendi, & iuris dicendi de rebus maximis, & quæque præfectura in suam aulam procedebat.

VII. Subscribat his, & lucem maiorem afferat etiam Pomponius Mela Cosmographus, cuius ista sunt verba: *Psammetichi opus Labyrinthus domos mille, & regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore extructus ac tectus, vnum in se descensum habet, intus pene innumerabiles vias multis ambagibus huc & illuc remeantibus, sed continuo anfractu; & sæpe reuocatis porticibus ancipites: quibus subinde alium super alios orbem agentibus, & subinde tantum redeunte flexu, quantum processerat, magno, & inexplicabili tamen errore perplexus est.*

Pompon. Mela lib. 1. de orbis situ.

VIII. Auctorem huius operis alij alium nominant. Credibile est vtique ab alijs cœptum,

ptum, ab alijs abſolutum aut auctum eſſe. Plinius ita ſcribit: *Durat etiam nunc in Ægypto in Heracleopolite nomo, qui primus factus eſt ante annos, vt tradunt IIIMDC. à Peteſucco rege, ſiue Tithoë. Quamquam Herodotus totum opus regum eſſe dicit, nouiſſimaq́ue Pſammetichi. Cauſſam faciendi variè interpretantur. Demoteles regiam Motherudis fuiſſe, Lycias ſepulchrum Mœridis, plures Soli ſacrum id extructum, quod maximè creditur.* Clariſſimè, ſi veriſſimè Herodotus in hunc modum. *Poſt Vulcani Sacerdotem regem ſuũ, Ægyptij libertatem adepti, 12. ſibi reges (nullo etenim temporis momento poterant ſine rege viuere) deligunt, in totidem partes omnem Ægyptum diſtinguentes. Iſti iunctis inter ſe affinitatibus regnabant, pactionibus initis, ne mutuò auferre imperium conarentur, neúe quis plus alio quippiam obtinere quæreret, ſed vt eſſent inter ſe quam amiciſſimi. Atque ea de cauſa has pactiones arctas accurataſq́ue inierunt, quod eis inter initia ſimul atque tyrannides inuaſerunt, reſponſum fuerat, qui in templo Vulcani ærea phiala libaſſet, eum totius Ægypti regno potiturum. Vbi omnia ſacra executi ſunt, placitum eſt eis aliquod relinquere ſui commune monimentum: ex eoq́ue placito fecerunt labyrin-*

Plin. cit. lib. 36. cap. 13.

IX.

Herodot. in Euterpe, ſeu lib. 2.

thum, paulò suprà stagnum Mærios, maximè vrbem versus, quæ dicitur crocodylorum: quem ego aspexi fama maiorem. Si quis enim ex Græcorum narratione muros & operis speciem ratiocinetur, minus concipiet, quàm pro labore & sumptu huius labyrinthi. Tametsi & Ephesi templum est memoratu dignum, & in Samo, tamen pyramides erant ad narrandum maiores, quarum singulæ multis ac magnis operibus Græcis æquiparandæ sunt. Sed eos quoq; labyrinthus antecellit. Etenim duodecim eius aulæ sunt tecto opertæ, portis oppositis altrinsecus: sex ad aquilonem contiguæ, totidem ad austrum vergentes, eodem extrinsecus muro præclusæ. Bifaria in eo sunt domicilia, vna subterranea, altera superiora illis imposita, vtraq; numero tria millia quingenta. Quorum ea quidem, quæ superiora sunt, ipsi vidimus, & quæ aspeximus, enarramus. Subterranea verò auditu dicimus. Nam præpositi Ægyptiorum nolebant vllo pacto illa monstrari, quòd dicerent, illic sepulchra esse tum eorum regum, qui ædificandi labyrinthi fuêre autores, tum sacrorum crocodylorum. ita de inferioribus ædificiis fando cognita referimus. Superiora ipsi aspeximus humanis operibus maiora. Nam egressus per tecta, & regressus per aulas diuersissimi, infinita

finita me admiratione afficiebant. Ex aula in conclauia transitur, ex conclauibus in cubicula, è cubiculis in solaria alia, è conclauibus in alias aulas. Horum omnium lacunar, quemadmodum parietes, lapideum est, sculptilibus passim figuris ornatum. Singulæ aulæ maxima ex parte digesto lapide albo, columnarum ambitu redimitæ. Angulo, quo finitur labyrinthus, adhæret pyramis 40. passuum, in qua grandia sunt insculpta animalia, ad quam iter sub terra fit. Hæc varij auctores de Ægyptio Labyrintho tradiderunt: & de alijs alia, quæ suo loco afferentur. Nam vtrum nullus *Lemnius*, sed potius *Samius* fuerit, vt quidam volunt; an præter hos potiùs fuerit etiam alius in Samo, alijque alibi *Labyrinthi*, nihil attinet disputare: sufficit ea attulisse, quæ de *Ægyptio* memorantur. Nunc videamus quomodo cum Mundo isto nostro comparentur.

Io. Frideric. Heruart. part. 1. Theologia Ethnic. cap 27. Plin. lib. 34. 8.

§. III. Auctores, Artificesq; Labyrinthi & Mundi inter se conferuntur.

X. Principiò, si de auctore quærimus, *Labyrinthum* velle condere, regia fuit cogitatio. Amasis, Imandes, Petesuccus, Tithoës, Motherudes, Mœris, Psammetichus, Porsenna, alijque sceptris inclyti

Plin. lib. 36. c. 13. vel ipsi, tantis operibus moliendis, *regnorum suorum vires fatigauerunt.* Mundum hunc, tamque immensam terræ cœlique machinam quis, nisi *Rex regum, Dominusq́; omnipotens* condidisset? *Quis enim cogitans potest adijcere ad staturam suam vel cubitum vnum?* ne dum vt producat eiuscemodi Mundum à magnitudine penè immensum, ab elegantia verè mundum.

Apoc. 19. 16. Gen. 17. 1. Math. 6. 27.

Ps. 64. 7. Ps. 144. 3. Solus ergo ille potest, qui *accinctus* est *potentia.* Qui vel idcirco iure audit: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronunciabunt.* Quæ potentia tanto maior est, quanto maior ipse Mundus quouis Labyrintho. Vt proinde dici possit, terrenos istos reges, ne *centesimam* quidem *eius portionem imitari.* At quid dico centesimam? cum ne ipse quidem terrarum aquarumq́; orbis ad millesimam eius partem accedat.

XI. Nec magnitudine tantùm ac præstantia operis vincuntur isti, sed etiam facilitate & celeritate. Multi suas in Labyrinthum opes contulêre & exhausêre; nemo solus perfecit. Deus ita hunc mundum, & quidem solus condidit, vt eadem facili-

tate

tate adhuc conderet infinitos. Tantæ porrò in eo ædificando celeritatis fuit, vt non magis illi expeditum fuerit dicere, quàm facere. *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt.* Quid cœlo firmius? *Verbo Domini cæli firmati sunt* : cum sapientissimus regum Salomon totum septennium consumserit in vna domo extruenda. Siquidem *ædificauit eam annis septem.* Ex quo etiam intelligi potest, quantus artifex, præ omnibus alijs, extiterit, qui Mundum hunc procreauit. Lemnium Labyrinthum *architecti fecère Zmilus, & Rholus, & Theodorus indigena:* Ægyptium refecit Circammon : Creticum condidit

Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis.

Ps. 32. 9. *Ibid. v. 6.* *3. Reg. 6. 39.* *Plin. lib. 36. c. 13.* *Ouid. lib. 8. Met.*

XII.

Ita in hæc opera operam suam non solùm æraria regum, sed etiam ingenia artificum contulerunt. Mundi idem rex & artifex fuit, *cuius diuinam prouidentiam*, ait Lactantius, *perfectissimamq́ue virtutem nec sensu comprehendere, nec verbo enarrare possibile est.* Myro Eleutheris natus floruit Olympiade 87. Ageladis discipulus, quem opera multa, maximè tamen *Bucula* ita celebrauit, vt in eam rem vnam apud Græcos, supra triginta epigrammata, pleraque

Lactant. lib. de Opificio Dei. c. 1. *Plin. lib. 34. cap. 8.* *In lib. 4. Anthol.*

ab Ausonio, Alciato, Henrico Stephano, Vrsino, Velio, alijsque versa extent: & ars ipsa Myronis communi prouerbio ab omnibus soleat iactari. O superi! homo mortalis ob vnicam Buculam scitè expressam à tot & tantopere decantatur; & rerum omnium viuarum & verarum effector Deus à tam paucis agnoscitur, tamque parcè laudatur? Scopam Parium, quòd marmorarius insignis esset, Græci Latinique scriptores tam præclaris encomijs nobilitent; & eum qui ipsa marmora de nihilo produxit, qui gemmas & adamantes in tantum splendorem verbo vnico, immo vnico cogitatu expoliuit, dies noctesque, lingua & calamo non deprædicemus? tanto vtique digniorem, quanto maiorem: cuius non modò vis, & ars, & sapientia in rebus efficiendis infinitis modis supra ceteros omnes artifices excelluit, verùm etiam finis ipse, in ijsdem destinandis incomparabiliter, maiorem laudem meruit.

Pausan. in Arcadib. Plin. loc. cit.

§. IV. Quis Labyrinthi, quis Mundi condendi finis & scopus fuerit?

XIII. Finis Labyrinthi triplex fuit: Maiestas: Securitas: Difficultas. Nam quanto maior

ior erat adeuntium difficultas, tanto fuit firmior habitantium ſecuritas. Et ſi de domo inquilinum æſtimamus, maieſtas quoque regum auctoritatem capiebat ex magnitudine regiarum. *Quamobrem placitum eſt eis*, inquit Herodotus, *aliquod relinquere ſui commune monumentum, ex eoq́ placito fecerunt Labyrinthum.* Quemadmodum & illi dixerunt: *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen noſtrum.* Ac Nabuchodonoſor rex in aula Babylonis deambulans, *Nonne hæc eſt Babylon magna*, inquiebat, *quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Ita ergo iſti muros in magnificam altitudinem extollebant, vt & nomen ipſorum extolleretur, *Adeò veſana dementia, quæſiſſe gloriam, impendio nulli profuturo*, ait Plinius. Atque vt dementia inſanior foret, tradit non ſolùm Demoteles Labyrinthum eſſe poſitum, vt regia Motherudis eſſet, ſed Lycias inſuper ſcribit, ſepulchrum Mœridis, Strabo tumulum Imandis extitiſſe. Et apud Herodotum præpoſiti Ægyptiorum dicebant, *illic ſepulchra eſſe tum eorum regum, qui ædificandi laby-*

Herodot. cit. lib. 2.

Gen. 11. 4.

Dan. 4. 16.

Plin. loc. cit.

Herodot. loc. cit.

labyrinthi fuêre auctores, tum ſacrorum crocodilorum: ne ſcilicet vermes deeſſent, vbi fuerant ſepulchra dealbata, *quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.* Idem de Italico Labyrintho memoratur, *quem fecit ſibi Porſenna rex Hetruriæ ſepulchri cauſſa, ſimul vt externorum regum vanitas quoque ab Italis ſuperaretur.* Nimirum inſignis dementia erat, gloriam quærere *impendio nulli profuturo:* & quidem in ſepulchris quærere, vt diu conſtet tam ſuperbè cogitantes fuiſſe mortales, & in cinerem atque ad plures abijſſe: cum in omni hoc conatu *tamen laus maior artificis eſſet*, quàm illorum, qui artificem conſtituerunt. Qui etiam in ea re decepti fuerunt, quòd in propriæ gloriæ meta ſubſiſterent, neque ad vltimum finem ſupremumque cogitationes extenderent; ſimiles ijs qui in hoſpitijs non tam diuertere volunt, quàm habitare, patriæ ſuæ obliti; aut ijs, qui ſemper in ſalo hærent, nec vnquam nauem ad portum cupiunt appellere. Infinitis ergo modis etiam hac parte mundi conditor laudabiliùs egit. Qui cum ſit *immortalis*, non voluit interitus ſui monimen-

Margin notes: *Math. 23. 27.* — XIV. — *Plin. ibid.* — XV.

mentum erigere, cum mundum istum crearet; sed maiestatem, sed potentiam, sed sapientiam, sed bonitatem, sed immortalitatem suam hominibus declarauit. Quocirca ipse ait: *Ego sum α, & ω, principium & finis.* Vbi S. Thomas: *Deus est principium*, inquit, *à quo omnia oriuntur, & finis, ad quem omnia ordinantur*; instar maris scilicet, vnde flumina fluere incipiunt, & quò reuertuntur. Quamobrem non præpostere, vt supra dicti reges, sed rectè atq; ordine, vtque par fuit, ad nominis sui gloriam mundum istum ædificauit. Tametsi enim quæcunque extra se se operatur, summa operetur cum libertate; si tamen operari aliquid statuat, non potest id operari, nisi ad gloriam suam illustrandam. Nam quemadmodum est primus & eminentissimus inter omnes, qui aliquid agunt; ita etiam ipse est vltimus eminentissimusque finis, ad quem à præstantissimè agente omnia debent referri. Nequaquam igitur bene ordineque ageret, nisi omnia ad bonum suum, hoc est, ad finem optimum præstantissimumque referret; cum peccet, qui, quod summo bono debetur, ad minus bonum transfert. Est autem

Apoc. 1. 8.

S. Thom. ibid.

tem

tem minus bonum, quidquid Deus non est. Immo comparatione infinitæ illius perfectionis, quidquid creatum est, quantumuis excellentissimum, instar nihili est. Peruersè igitur ageret Deus summè bonus, si gloriæ suæ, quidquam anteferret. Qua de caussa vel ipse ait, *Gloriam meam alteri non dabo.* Quam verò gloriam ex opere suo potest Deus adipisci? Nullam vtique aliam, quàm hanc externam, in cognitione, æstimatione, & veneratione hominum constitutam. Quæ sanè inter externa bona, bonum est longè nobilissimum; ad quod omne bonum creatum spectat, cum quidquid est in creaturis perfectum, diuinas perfectiones ex officio, vt ita dicam, repræsentet. Ex quo conficitur, omnes res creatas, quia bonæ sunt, eò ipso ad manifestandam Dei gloriam, tanquam ad vltimum finem ordinari. Et si quidem sermo sit de gloria Dei in genere, debet eam Deus necessariò in omni operatione spectare: qui insuper liberè spectat etiam illam peculiarem, quæ in visione Dei actibusque eam comitantibus consistit. Hæc demum summa & Dei est gloria, & hominum beatitudo, quam quia voluit

Sap. 11. 23. Isa. 40. 12.

Isa. 48.

XVI.

luit esse finē totius vniuersi, idcirco quidquid circa creatas res agit, ad hunc finem respicit. Quare pariter dum in operibus suis ad summam suam gloriam respicit, respicit etiam summum nostrum bonum, quæ sine se mutuo esse non possunt, cum eius gloria externa sit, vt à nobis perfectè cognoscatur, ametur, gustetur, quod quidem etiam in hac vita fit, sed nusquam meliùs, quàm in sede beatorum. Itaque gloria illius est nostra beatitudo, & quidquid nobis ad beatitudinem accedit, accedit ad illius gloriam & maiestatem.

Quoniam autem eæ res quæ intellectu carent, non sunt aptæ Deum cognoscere, amare, eoque sic frui; non potuerunt hoc pacto ad gloriam diuinam condi. Conditæ sunt igitur vt homini seruiendo, Deo seruirent, gloriamque eius exaugerent. *Faciamus hominem*, inquit, *ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris & volatibus cæli, & bestiis, vniuersæq; terræ, omniq; reptili quod mouetur in terra.* Est ergo & hæc quoque homini cum Deo similitudo, quòd sicut ipse Deo obsequium præstare debet, ita & illi mundus iste corporeus in obsequium subijciatur. *Constituisti* XVII. Gen. 1. 26. Psal. 8. 7.

tuiſti eum ſuper opera manuum tuarum, ait Pſaltes, *omnia ſubieciſti pedibus eius*; vt ſe ille nullius alterius, niſi tuis pedibus ſubijceret. Siquidem nihil eſt infra Deum, ad cuius gloriam homo poſſit ordinari: nec quidquam eſt aliud quàm homo, cuius cauſſa elementa, quæque in ijs reperiuntur condita ſint, aut cui ſeruiant. Nam Angelorum natura nec fructibus terrarũ ad veſcendum, nec motibus aſtrorum ad viuendum, nec aura ad reſpirandum, nec aquis ad lauandum, indiget, ſed hæc omnia homini ſeruiunt, vt ipſe ſeruiat Deo; eiuſque gloriam agnoſcat, amet, laudet. Ex quibus perſpicuum eſt, reges illos priſtinos, ſi qui *Labyrinthum* moliti ſunt, gloriam quidem ſuam in eo quæſiuiſſe, non verè tamen reperiſſe; cum multi eos hoc ipſo nomine meritò accusârint: Deum autem generis noſtri proauctorem, quando Mundum condidit, & optimis modis gloriam ſuam propagaſſe, & gloria ſua Mundum ipſum nobilitaſſe. Quocirca quidquid alij fecerint ſiue ad honorem,
Pſ.88.12. ſiue ad ruborem ſuum: *Tui*, ô Deus, *ſunt cæli, & tua eſt terra; orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti: Aquilonem & mare, tu crea-*

creasti. Nulla in hoc tam perfecto opere erubeſcendi, magna gloriandi cauſſa reperitur. Niſi quod illi homines iure debeant erubeſcere, qui ceteris creaturis omnibus Deum laudantibus, diuinam gloriam ſoli, ſacrilegè furantur.

Caput III.

LONGE MELIVS DEO REDIRE GLORIAM EX MVNDI, QVAM REGIBVS EX LABYrinthi magnitudine, firmitate, celſitate.

§. I. *Parua deridiculo, magna admirationi eſſe ſolere.*



Oëtæ, ſi quempiam parui volunt facere ac vilipendere, domum eius, aut prædium, aut fundum, aut agrum paruum eſſe aiunt; itaque contemtim deſcribunt, vt cum ipſa domo dominum contemnere & palam ridere videantur. Hoc pacto inter Græcos Lucilius ſcripſit, Menophanis agrum tam paruum extitiſſe, vti ſe ſuſpendere in illo, propter famem, non potuerit, neq; mortuus ſepeliri. Epicurum certè, ſi agrum illum conſpexiſſet, dicturum fuiſſe, omnia non atomis, ſed agris Menophanianis plena eſſe, I.

Lib. 2. Anthol.

na esse, quasi ager Menophanis atomo fuerit minor. Apud alium Poëtam Furius tam angustæ rei dominus vocatur, vt illi sit neque seruus, neque arca, quid dico?

Catull. epigr. 23.

Nec cimex, nec araneus, nec ignis;

immo vt tam omnibus rebus nudus nihil neque à fortuna, neque ab inimico, neq; ab vlla re timere possit;

Non incendia, non graues ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.

II. Tale quid etiam est, quod apud Ciceronem, aut Lauream libertum reperimus.

Fundum Varro vocat, quẽ possim mittere funda,
Ni tamen exciderit, qua caua funda patet.
Extractam puteo situlam cum ponit in horto;
Vlterius standi non habet ille locum.

Martial. lib. 11. epigr. 19.

Et alius Lupo gratias agens affirmat, se *prandium* ab illo, quàm *prædium* accipere maluisse. Nam pensilem præ fenestra hortum suum in florum testa, rure illo esse maiorem: cum ruta vnica totum illud rus occupet, & nemus Dianæ faciat: cum vnius cicadæ ala rus totum tegat: cum vno die formica totum rus absumat: cum clausæ rosæ folium rus totum coronet:

In

In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec ſerpens habitare tota poſſit.

in quo eruca vnica malè paſcatur, & culex ipſe ſalicto repentè conſumto mori cogatur: in quo talpa ſit & pro foſſore, & pro aratore: in quo nec boletus hiare, nec mariſcæ ridere, nec denique violæ patere poſſint: in quo mus fines poſſit depopulari, & à colono, tanquam ſus Calydonius, timeri: in quo nec plus feratur, quàm hirundo vngue queat tollere, nec plus metatur, quàm quod vix cochleam queat implere; muſtumque omne, quod inde legitur, in vnica nuce picata poſſit recondi. Sic res paruæ materia ſunt cachinnorum: magna autem magnis laudibus extolluntur, vt Coloſſi, vt Semiramidis muri, vt regia regis Sinarum. Quid terra, quid cœlo, quid operibus diuinis maius? Hinc in maximam Dei gloriam redundant. Vt meritò cum ſanctis illis Eccleſia canat, *Pleni ſunt cœli & terra maieſtatis gloriæ tuæ.* *In hymno SS. Ambroſij & Auguſtini.* Quæ plenitudo maieſtatis & gloriæ clariùs intelligi non poteſt, quàm ſi cum rebus maximis conferatur.

§. II. Magnitudo, vastitasq́ Labyrinthi & Mundi inter se expenduntur.

III. Quoniam igitur auctores, artifices, fines *Labyrinthi* & Mundi comparauimus, nunc etiam opus ipsum vtrinque aspiciamus, quamque idoneum sit ad fines suos perpendamus. In *Labyrintho* celebratur vastitas, firmitas, altitudo; insuper ornatus, vtilitas, & quæ vel ipsa etiam laudi ducitur, perplexitas. Quantam enim oportuit fuisse *Labyrinthi* vastitatem, *quæ fuerit in regiones diuisa, atque in Præfecturas (quas vocant nomos) sedecim, nominibus earum totidem vastis domibus attributis, cum præterea templa omnium Ægypti Deorum contineat? Fessi iam eundo perueniunt* demum *ad viarum illum inexplicabilem errorem*. Quid mirum? *Locus in primo fossæ ingressu,* ait Strabo, *ad triginta quadragintaúe stadia procedenti, est planities quædam edita, quæ vicum habet, & multorum regum regiam, quot priùs præfecturæ erant.* Ac Herodotus affirmat, se *Labyrinthum aspexisse fama maiorem. Si quis ex Græcorum narratione muros & operis speciem ratiocinetur, minus concipiet, quàm pro labore & sumptu huius Labyrinthi. Tametsi & Ephesi templum est memoratu dignum, & in*

Plin. lib. 36. c. 13.

Strab. lib. 17.

Herodot. lib. 2.

& in Samo, tamen Pyramides erant ad narrandum maiores, quarum singulæ multis ac magnis operibus Græcis æquiparandæ sunt. Sed eas quoque Labyrinthus antecellit. Hæc vastitas erat totas regiones amplexa, integras Præfecturas circumscribens; maximas domos, ingentia innumeraque templa continens: vnicam sui planiciem vsque ad triginta quadragintaue stadia extendens, & vel fortissimi cursoris pedes fatigans: quid multa? ipsam famam superans. Sed tamen hæc tanta & tota vastitas fuit comparata ad terram non nisi puncti instar.

IV. Cum autem rursus tota terra cœlo collata & ipsa sit instar puncti, quid erit *Labyrinthus*, si cum eo Mundus comparetur vniuersus? Porsenna in suo, aut Imandes in suo *Labyrintho* sepultus, vix tres vlnas, vel vnam vrnam, hoc est, vix loci notabilem partem occupabant; compara Deum cum Mundo suo, & iam ipse Mundus non erit notabilis. *Et constituebam in conspectu spiritus mei*, inquit S. Augustinus, *vniuersam creaturam, quidquid in ea cernere possumus, sicuti est terra & mare, & aër & sidera, & arbores, & animalia mortalia, & quidquid in ea non videmus, sicuti firmamentum cœli,* S. Aug. lib. 7. Cõfess. c. 5.

insuper & omnes Angelos, & cuncta spiritualia eius, sed etiam ipsa quasi corpora essent locis, & locis ordinauit imaginatio mea, & feci vnam massam grandem distinctam generibus corporum, creaturam tuam, siue quæ vera corpora erant, siue quæ ipse pro spiritibus finxeram: & eam feci grandem non quantum erat, quod scire non poteram, sed quantum libuit, vndique versum, sanè finitam. Te autem, Domine, ex omni parte ambientem eam & penetrantem, sed vsque quaque infinitum: tanquam si mare esset vbique, & vndique per immensum infinitum solum mare, & habere intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam. tamen plena esset vndique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari, sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam. Hæc S. Augustinus.

V. S. Ioannes de cœlo, parte aliqua mũdi, loquens ait: *Et ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo: & mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia: & longitudo & altitudo, & latitudo eius æqualia sunt. Et mensus est murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum; mensura hominis, quæ est Angeli.* Quo loco alij quidem aiunt totius ciuitatis ambitum *per stadia duodecim millia* mensura-

Apoc. 21. 16.

Cornel. à Lapide ibidem

surari: alij autem interpretes scribunt, eam esse ciuitatis & amplitudinem, & vastitatem, vt cum sit in quadro, quodlibet latus quadri seu quadrati in longitudinem procurrat ad duodecim stadiorum millia, id est, ad mille quingenta milliaria Italica. Magna vtique capacitas, & ingens magnificentia, àd quam *Labyrinthus* vix vmbra quædam esse videatur. Babylon vrbs, quã vasta capacitas celebrem fecit, in toto suo ambitu & quadratura, tantùm continebat centum viginti stadia: hæc autem in vno quadri latere habet duodecim millia stadiorum. Qnamobrem vnum quadri latus excedit longitudinem Babylonis centies, & proinde tota capacitas cœlestis Solymæ superat Babylonis capacitatem decies millies, vt non ignobilis auctor Alcazar ratiocinatur. Philostratus Lemnius ex vulgi fama loquens ait: *Babyloniæ muros tantos fuisse ferunt, vt stadiorum quadringentorum & octoginta ambitum complecterentur. in altitudinem verò tria semiugera tollerentur, cum essent paulo minus vnius iugeris crassitudine.* Etiam sic adhuc Babylon superatur ab illa ciuitate, quæ cœli in figura descripti duntaxat, est magnitudo, vtique

Alcazar in eundẽ loc. Et nos plura infra hoc lib. c. vlt.

Philostrat. lib. 1. de Apol. cap. 18.

adhuc longè diſtans ab ipſa vera eius magnitudine, ne dum à magnitudine conditoris infiniti. O miſeri Menophanes! ô Furij! ô Varrones! ô Lupi! qui agros tam anguſtos, qui fundos tam breues, qui domos tam exiguas, qui prædia tam contracta, qui atomos, qui vnius rutæ ſpacium, qui locum ab ala cicadæ tegendum, pratum à formica deuorandum, hortum à roſæ nondum apertæ folio coronandum; terram nec cucumeri recto, aut explicato ſerpenti ſufficientem capaciſſimo cœlo, immenſo Deo antefertis? Paruis parua, magnis magna placent. Cur non igitur vilitatem amoris veſtri agnoſcitis, & cogitationes inanes contemnitis, dicitiſque:

1. Cor. 13. 11. *Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus ſum vir, euacuaui, quæ erant paruuli*; nec iam ampliùs placent caſæ in arena ædificatæ. Deus placet; cuius ſi opera ſunt tanta, quantus erit ipſe? quã amabilis, quàm laudabilis! Quid multa?

Pſ. 144. 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non eſt finis*; cum, quidquid eſt creatum, neceſſariò terminis ſuis ſit circumſcriptum. Vincit igitur magnitudine

dine & Deus ipse, & opera Dei omnia opera creaturarum. Itaque si à magnitudine gloria venit, si æstimatio, si amor conciliatur, nulla mortalium gloria est diuinæ gloriæ, nulla æstimatio, nullus amor diuino amori æquiparandus.

§. III. Labyrinthi & Mundi quanta firmitas?

Iam firmitas quoque *Labyrinthi* meruerat commendationem. Quanta vnquam à saxis & marmoribus promitti poterat duratio & perennitas, tanta illi inerat architectationi. *Labyrinthi omnes*, ait historiæ naturalis scriptor, *lapide polito fornicibus tecti. Ægyptius (quod miror equidem) introitu columnisq; reliquis è molibus compositis, quas dissoluere ne secula quidem possint, adiuuantibus Heracleapolitis, qui id opus inuisum mirè infestauêre.* Assonat Strabo, dum scribit: *Et quod admirandum sit, cuiusque domus tabulata, ac etiam cryptarum latitudines ex lapideis pluteis integris, & magnitudine excellentibus confectæ sunt, nulla vsquã nec ligni, nec alîus materiæ admixtione. Ac si quis in tabulatum ascendat, quod non admodum altum est, vtpote vnum, videre potest lapideum campum, eiusmodi lapidibus instratum.* Itaque

VI.

Plin. loc. cit.

Strab. lib. cit.

ſi lapides cum tempore in duritiem creſcunt; ſi fornices per ætatem vnus lapis fiunt; ſi homines & res fortiſſimæ columnæ vocantur; ſi moles vetuſtatem vincunt; ſi tabulata ſaxea, plutei lapidei, ſi petræ & cautes in campum diductæ, exemplar ſunt rerum ſolidarum, quàm portentoſum neceſſe eſt in illo opere fuiſſe firmamentum? Hæc firmitas, hoc robur erat Labyrinthi.

VII. Quid de Mundo dicam, qui lapides & ſaxa de minima ſui portione *Labyrintho* ſuppeditauit? qui tam immenſos cæli fornices, tot annis, ſine vlla colūna ſuſtentat? qui tantas montium moles exhibet? qui in ventis tempeſtatibuſque, tot iam ſecula, durauit? Nec enim eum aquæ diluerunt, nec ignes diſſoluerunt, nec aëris iniuriæ labefactarunt; nec terrarum montiumq́; tremores euerterunt. Cœli, noctes dieſque, tot, tam continuis, tamque rapidis motibus rotati atque agitati, nihil adhuc, per tot ætates, quidquam de ſua integritate detriuerunt. Nempe

Iob. 37.18. quia *ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt.* Quid ære perennius? illud tamen ab igne liqueſcit. Cœlum aſſiduis ignibus lambitur, & manet inaduſtum. Nimirum bellè congru-

gruunt auctoris nobilitas, & operis diuturnitas. *Initio tu, Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.* Tu enim es ille artifex, *qui fundasti terram super stabilitatem suam, & non inclinabitur in seculum seculi.* Reges illi *Labyrinthorum* extructores opera fecerunt quæ se defunctis, cum semper non possent, saltem ad aliquot annos, in memoriam relinquerentur posterorum. Tu Deus opera longè firmiora effecisti, non tamen ea post te relinques. Solidissimi sunt cœli, & vsque ad finem mundi hoc eodem, quo sunt, statu duraturi, tandem tamen & *ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Cerea igitur fuerunt opera *Labyrinthi*, & luteum negotium, si Dei opera aspiciantur. Sic enim opera Dei & hominum differunt, sicut eorum litteræ scripturæque, qui æri cogitationes suas incîdunt, ab illis, qui in aqua aut cineribus scribunt. Durant enim verba rebus duris impressa, sicut & opera diuina, Numinis excellentiam testantia. Hinc & Iob, cum dictis suis cuperet æternitatem, dixit:

Ps. 101. 26. *Ps. 103. 5.* *Ps. 101. 27.* VIII.

Quis

Iob.19.23. *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det vt exarentur in libro ſtilo ferreo, & plumbi lumina, vel celte ſculpantur in ſilice?* Eiuſcemodi ergo voluminibus diuinæ laudes ſunt inſculptæ. At humana gloria, quaſi in aquis ſcripta, citò diffluit; aut quaſi in cineribus exarata, à leui vento diſſipatur. Nam dum *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram* mortales, in terra ſcribuntur; cum interea *vultus Domini ſuper facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum.* Nempe *tu ſolus altiſſimus in omni terra,* Deus. *Non ſic impij, non ſic: ſed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.* Ita ferè omniũ memoria perijt, qui in vanitate quæſierunt nominis celebritatem. Quo pacto Medis victis Cyrum gentis ſuæ nomen impoſuiſſe ſcribit Plato. Et Saluſtius ait: *victos omnes in gentem nomenq; imperantium conceſſiſſe.* Moſque antiquus eſt, vt famæ ſititores inſignia, ac nomina ſua indant domibus, palacijs, arcubus, theatris, balneis, agris, villis, portubus, columnis, obeliſcis, pyramidibus, tumulis, epitaphijs, arcibus, oppidis, ciuitatibus, regionibus, monetis, ipſis ſæpe equis, alijſque animalibus inurant, &, vt Horatius deflet,

Pſ.16.11. *Pſ.33.17.* *Pſ.82.19.* *Pſal.1.4.* *Plato in Menexeno. Saluſt. de Bello Aug.* *Horat. lib.3.*

flet, *quærant vrbium subscribi statuis*, denique à muris, & *Labyrinthis*, & sepulchris honorem mendicent: iuxta illud: *Et sepulchra eorum, domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie, & progenie: vocauerunt nomina sua in terris suis:* cum tamen ipsi, angusta vrna inclusi absconderentur, ac memoriam eorum pluuiæ de marmoribus abluerent; & ruinæ tantò altiùs tegerent, quantò altiora fuerunt ædificia, quæ extruxerunt. Interea Petrus piscator, & Paulus coriarius, qui propriam nauiculam reliquerunt, nec habuerunt domum, immo nec vbi caput reclinarent, quia non sibi, sed Christo templa, ac monumenta ponere conati sunt, post mortem eminentissimè splenduerunt. Hæc firmitas est diuinæ, infirmitas humanæ gloriæ, in cœli firmitate, & *Labyrinthi* imbecillitate repræsentata.

carm. od. 24.

Ps. 48. 12.

§. IV. Tam Labyrinthi, quàm Mundi præclara altitudo.

IX. Fuit autem & altitudo *Labyrinthi* eximia. Nam ibi conspiciebantur *pyramides complures quadragenarum vlnarum, senos radice muros obtinentes. Quin & cœnacula prius excelsa porticusq́; ascenduntur nonagenis*

Plin. cit. loc.

Strab. supra cit. *gradibus omnes.* Ita Plinius. Et alter: *In fine huius ædificij, quod plus stadio occupat, est sepultura quadam, pyramis quadrata, cuius quodlibet latus quadriiugerum ferè est, & altitudo par.* Maxima vtique altitudo. Sed

X. quid ad altitudinem mundi? hæc tanta est, vt stellæ multis partibus terra maiores, pomi instar in oculos nostros veniant. Et quia Archimedes demonstrat perimetrũ, seu circumferentiam esse triplum diametri, facilè erit de altitudine cœli iudicare, si circumferentiam, seu concauam cœli Empyrei superficiem perpendamus: quæ lata esse dicitur, *milliarium Germanicorum decies quater mille nongentos septuaginta sex milliones millionum. Tam nimirum ampla, vt in ea extendi queant mille sexcenti milliones superficierum terrestrium. Eo verò ambitu distendetur, vt quis quinquagies mille annis obire non posset, etiamsi quotidie 12. milliaria Germanica ambularet.* Hinc de ceteris æstimatio fieri potest. Nam & crassities illius cœli in maximam amplitudinem altitudinemque sese diffundit. Et haud dubiè

Ita recens quidam Mathematicus.

XI. *Gē.* 14. 18. diuinæ litteræ Deum, non sine magno ho- *Iob.* 31. 28. noris titulo, toties *Altissimum* vocauerunt: *Psal.* 7. 18. *Luc.* 2. 14. nec angelorum militia sine caussa cecinit: *Gloria*

Gloria in altissimis Deo. Qui etiam eandem ob caussam frequentissimè *Excelsus* appellatur. Et quamuis diabolus quoque, simia Dei, *Excelsa* affectârit, Deus tamen *excelso excelsior est*, ad quem cum Lucifer ascendere vellet, eique par sedere, nimia altitudine in vertiginem datus de cœlo in profundissimum Inferni locum cecidit. Neque illi cogitationem suam perfecerunt, quorum vox erat: *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum:* ad cœlum structuris suis non pertigerunt: & si vel maximè cœlum ipsum attigissent, Deus in cœlis, & supra cœlos ipsos existens, excelso eorum muro excelsior fuisset. Quare altitudinis laudem præ omnibus obtinet & in ædificando, & inhabitando Deus, atque si ex magnitudine operis cognoscenda æstimandaq; est magnitudo auctoris, *Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis:* nimisque, *exaltatus est super omnes Deos;* sicut & Christus, qui Apostolo teste, *Ascendit super omnes cælos*, quod D. Thomas perfectissimo eius corpori debitum fuisse affirmat: quanto enim aliqua corpora perfectiora, tanto locum exigunt sublimio-

Gē.14.19. 3.Reg.3.2. Eccl.5.7. Gen.11.4. Ps.144.3. Psal.96.9. Eph.4.10. S.Th.3.p. q.57.a.4.

miorem. Sublimissimum ergo & ipse insedit, & amicis suis præparauit. Qua de caussa S. Bonauentura scribit: *Ad contemplandum quietem omnium, de cælesti Hierusalem aliquid balbutiendo prorumpam. Nam locus est altissimus, splendidissimus, latissimus, & firmissimus.* Quibus verbis sanctissimus vir omnia complexus est, quæ nos huc vsque instituimus cum *Labyrintho* comparare: sed præcipuè altitudo est præ oculis habenda. Illuc erectos ad sidera tollere vultus nos Deus & natura iussit. Nam quamuis & in terra sit Deus, tamen dicere iubemur: *Pater noster, qui es in cælis*, ne illũ in terris & terrenis quærere cupiamus. Alta cogitamus, nihil altius est cælo. Cum Christo esse cupimus, in altissimo cælo est Christus. Vnde & Apostolus ait: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram.* Illuc totis votis & desiderijs sequi decet seruos, quo sciunt dominum præcessisse. Mancipia in vestibulis & stabulis morantur, & supra sortem suam esse censent, vt ad altiora aspirent. Generosiores autem animi proximè cum domino in eodem con-

S. Bonau. in stimulo diuin. amor. c. 20. p. 3.

XII.

Matth. 6. 10.

Coloss. 3. 1.

conclaui eſſe concupiſcunt. Hoc ſignum, hic effectus clarè atque euidenter oſtendit, nos, cum Chriſto reſurgente à mortuis, à peccatis reſurrexiſſe, eidemque per diuinam gratiam & charitatem vnitos eſſe; ſi cœleſtia, non terrena; ſi ſumma, nō infima; ſi æterna, non temporalia; ſi ea quæ ſurſum, nō quæ deorſum ſunt, quæramus, & per diuinam ſapientiam, ſcientiam, affectum, per guſtum, per deſiderium, per cogitationem ſeriam, meditationemque efficacem ſapienda ſapiamus. Inter elementa enim, quodnam eſt ignis, & nobiliſſimum? quodnam terra & ignauiſſimum? Nonne id quod ad cœlum altiſſimè euolat, ignem, & quod ceteris omnibus ſeſe ſubmittit, terram eſſe dicimus? Sic terrenus, ſic animalis homo, non ſapit ea, quæ ſunt ſpiritus; is autem, quem ignis diuinus accendit, facilè, his caducis & imis rebus contemtis, ad *Altiſſimum* anhelat.

XIII. Hoc eſt eſſe verè hominem. Nam, vt Plato quoque docet, ἄνθρωπος, quaſi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, dicitur, id eſt, *quòd ſurſum aſpiciens contemplari & attentè conſiderare debeat, ea quæ vidit*; vel quaſi ἄνω ῥέπων, id eſt, *ſurſum vergens: quòd*, vt Lactantius ſcribit,

Plato in Cratyla.

Lactant. lib. 2. de-

uinar.Inſtit.c.1. *ad ſuperna & altiſſima tendere debeat.* Beſtiæ deorſum ſpectant, porci lutum verſant, talpæ terram in delicijs habent: ſorex fodit & rimatur glebas, ſcarabæus ſtercora amplexatur. Sic peccatores, ſic infideles, ſic hæretici, ſic athei, quia neque animum, neque oculum ad cœlos attollere poſſunt, toti terrenis inhiant, ad lumen noctuæ, ad tenebras aquilæ. Formicarum nidos, culicum pometa, araneorum ædificia, murium hypogæa, erucarum pomaria magni faciunt: altiſſima illa, & in ijs *Altiſſimum*, nunquã, aut rariſſimè, & non niſi obliquo oculo intuentur. Aliter filij Dei, qui patrem ſuum non in rebus paruis, ſed magnis, non in imis, ſed ſummis, quærunt; quia ſpem fidemque habent æternitatis. Oculos in ſtellas conijciunt, animum, ad cœlum attollunt, mentem in Deo defigunt; hinc tam læti alacreſque caduca relinquunt, terrena cõtemnunt, vilia calcant. Si enim verum eſt illud Socraticum à S.Hieronymo vſurpatum: *In cælum conſcendo, ſolum hoc ſolemq́ deſpicio*, profectò non poterunt ampliùs humi velle repere, quicunque meminerint, ſe ſurſum ad cœlum, ad illa altiſſima pul-

Vide S. Bernar. Serm. 6. de Aſcenſione.

pulcherrimaque palacia & natos eſſe, & tam potenter vocatos.

Caput IV.

EX ORNATV TAM MVNDI, QVAM LABYRINTHI, QVALIS, ET A QVIBVS GLORIA in auctores eorum redundet?

§. I. *Labyrinthi & Mundi ornatus quàm ſit aptus, ad auctores ſuos commendandos?*

Ad magnitudinem altitudinemque, quæ *Labyrintho* in ornatum fuêre, etiam alia ab auctoribus adiecta ſunt, quibus is decoraretur. Nam & materiæ precium, & operis proportio ac concinnitas, & locorum ædificiorumque ac picturarum & rerum omnium mirifica varietas in eo cernebatur. Materiæ precium indicant ſcriptores, dum aiunt, Labyrinthos *omnes lapide polito fornicibus tectos*; item tam magnas, tamque innumerabiles *intus columnas de porphyrite lapide* admirationi fuiſſe; &, *fulſiſſe trabibus ſpinæ oleo incoctæ, dum fornices quadrati lapidis aſſurgerent.* Dum aſſurgerent, inquam, non dum ſtarent, nam alius ſcriptor tradit, admirandum eſſe, quòd *cuiuſq; domus tabulata, ac etiam cryptarum latitudines ex lapideis pluteis inte-* I. [*Plin. lib. 36. Hiſt. nat. c. 13.*] [*Strab. lib. 17.*]

 gris,

gris, & magnitudine excellentibus confectæ sint, nulla vſquam nec ligni, nec alius materiæ admixtione. Quin eſt, qui affirmet, *Pſammetichi opus Labyrinthum, domos mille, & regias duodecim, perpetuo parietis ambitu, amplexum, marmore extructum, ac tectum* fuiſſe.

Mela lib.1.

Si vnius ſepulchri lapis, aut veſtibulum, vel menſa ex marmore multis magni eſſe ſumtus videtur, quid mille domorum, duodecim regiarum, perpetuique parietis ambitum, omnia ex marmore extructa, conſtitiſſe, quantæque rem pecuniæ fuiſſe eſt neceſſe? Hæc de materia Labyrinthi prodita ſunt.

II. De materia ac forma, operiſque varietate, proportione, ac concinnitate oculatus teſtis ait: *Ipſi aſpeximus humanis operibus maiora. Nam egreſſus per tecta, & regreſſus per aulas diuerſiſſimi, infinita me admiratione afficiebant. Ex aula in conclauia tranſitur, ex conclauibus in cubicula, è cubiculis in ſolaria alia, è conclauibus in alias aulas. Horum omnium lacunar, quemadmodum parietes, lapideum eſt, ſculptilibus paſſim figuris ornatum. Singulæ aulæ maxima ex parte digeſto lapide albo, columnarum ambitu redimitæ.* Tot ergo graduum per quos aſcenditur, tot columnarum quibus *Labyrinthi* moles

Herodot. lib.2.

moles innititur, tot ſimulachrorum, quibus ſuperſtitio exprimitur, tot ſtatuarum, quibus regum memoria conſeruatur, tot monſtrificarum imaginum, tot diuerſorum emblematum, tot ſculptilium figurarum, quibus, templis, porticibus, regijſque decus additur, tot pyramidum denique ſumtus & labor, quid non habuit concinnitatis & varietatis? Qua omni concinnitate atque varietate nihil aliud quæſitum eſt, quàm vt ijs ornaretur illorum nomen, qui *Labyrinthum* ornauerunt. I- III.
dem factum eſt in Mundo. *Deus enim*, ait Lactantius, *prouidentiam & poteſtatem ſuam multarum rerum mirabili varietate voluit oſtendere*; nec varietate tantùm, ſed etiam materiæ ipſius nobilitate. Nam quidquid eſt in terris auri, quidquid argenti, quidquid æris Corinthij, quidquid margaritarum & gemmarum, vix minima eſt portio terræ, tot inſuper carbunculis, quot roſis; tot adamantibus, quot lilijs diſtinctæ & gemmantis. Quare iure ſuo cœleſtis agricola per Prophetam ait: *Et pulchritudo agri mecum eſt*, hoc eſt, à me ſtat, meiſque laudibus ſubſcribit & acclamat, à mea potentia profecta, à me

Lactant. lib. de opific. Dei. cap. 5.

Pſ. 49. 11.

ab æterno cognita, & in me eminentiſſimè contenta: atque vel idcirco diligenter expendenda: *Conſiderate lilia agri*, ait Chriſtus, *quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem nobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis.* Qua de cauſſa Mundus iſte tam vndique ornatus, & in Dei laudes gemmatus meritò in emblemate quodam eſt expreſſus, quod adhuc durat, in *Pomo Imperiali*, illo ſcilicet, quod Sereniſſimus noſter Elector Maximilianus Boiæ Dux Imperatori, ex Dapiferi officio, præportat, & à Benedicto Papa VIII. originem traxit. Nam, vt, poſt Glabrum, Baronius teſtatur, cum Henricus Germaniæ rex cum exercitu in Italiam tranſiret, Romam petiturus, vt Benedictum Pontificem in ſuam ſedem reſtitueret; à quo viciſſim erat ad imperium orbis promouendus; iuſſit Benedictus Pontifex inſigne fieri, aureum quoddam pomum rotundum, mundo in figura ſimile; atque veluti æquatore & meridiano, aut lacteo aliquo circulo cingeretur, præcepit artifici, vt pomum illud per quadrum precioſiſſimis gemmis circumdaret, atque verticem illius, aurea cruce inſer-

Matth. 6. 28.

IV.

Glab. lib. 1. *in fin. Baron. An. Chriſti* 1013.

inserta, Deo insigniret: Vt quoties Princeps in pomum illud oculos conijceret, doceretur ita imperare in mundo, vt non minùs ipse virtutibus, quàm Pomum vnionibus, aut mundus ipse sideribus ornatus esset. Denique tum demum & mundum, & Imperatorem tutum fore significauit, si à cruce protegeretur; quod tum futurum erat, si omnia ad crucifixi gloriam referret. Hoc tale Pomum Benedictus Papa cum maxima virorum & sacrorum ordinum multitudine, obuiam de more procedens aduenienti Henrico, in honoris testimonium, obtulit; quod ille postea ad Cluniacense monasterium in Gallias, amoris ergo, misit, vt apud Deo consecratos, Deo constantiùs consecraretur. Sicut ergo Benedictus pomum gemmis, ita Deus mundum stellis exornauit: vt ad eius imitationem homo, qui est paruus quidam mũdus, se quoq; moribus exornaret. Quid enim decet esse pulchrius? mundum, an eum, propter quem tam formosus est mundus? Et tamen hic propter hominem factus tam est formosus, vt eius ornatum vanæ gloriæ mancipia nullis vnquam sumtibus, nulla profusione pecu-

V. *Philostrat. lib. 1. de Vita Apol. c. 18.* niarum potuerint satis imitari. *Ferunt* Apollonium apud Babylonios aliquando *in porticum venisse, cuius suprema pars in formam clypei fabricata cœli faciem imitabatur, Saphiro lapide extrinsecus adoperta, qui lapis maximè cæruleus cœli colorem refert, vbi eorum, quos ipsi deos habent, imagines ex auro, tanquam ætheris colorem imitantes sculptæ erant. Is autem locus est, vbi rex ius dicere consueuit.* Hæc Numinis non laudata, sed superba est imitatio, & tamen (ô Superi) quàm imperfecta? Vt enim neque sapphirus vllus ad cœli amplitudinem, neq; aurum ad siderum splendorem accedit; ita porticus illa longè à mundi elegantia atque maiestate abfuit. Præterquam, quòd *Ibidem.* *ex testudine illius auiculæ quatuor aureæ pendebant, quas illices torquillas nominant, vltionis Deam significantes, admonentesq́ regem, ne se supra hominem efferret.* Nempe quidquid in hoc mundo rerum humanarum splendet, torquet; quidquid illicit, vellit; & clamat, *Vltionem superbis à Deo impendere.* Hinc illices illas torquillas *linguas Deorum* appellabant. Quia vbicunque aliquid pulchrum est, ibi loquitur Deus se se esse pulchriorem; minaturque se vindicaturum,

rum, si quis vllam pulchram rem ita possideat, vt elatus non Conditorem illius, sed seipsum æstimet; aut diuinis illa operibus præferat, quæ manus humanę condiderũt. Quid enim Dei operib. est præferendum?

VI. Atque, vt de cœli formositate, hoc loco, nihil ampliùs dicam, vbi planè tot gemmæ, quot stellæ lucent, in solis animantibus quanta varietas, quàm incredibilis concinnitas? Neque hîc mihi sermo est de earum pelle, *quam* Deus *vel sola pulchritudine decorauit; vel setis adoperuit; vel squamis muniuit; vel plumis insignibus adornauit. Illud* (Lactantij verba sunt) *commentum Dei mirabile, quòd vna dispositio & vnus habitus innumerabiles animantium perferat varietates. Nam in omnibus ferè, quæ spirant, eadem series, & ordo membrorum est. Primum enim caput, & huic annexa ceruix. Item collo pectus adiunctum, & ex eo prominentes armi, adhærens pectori venter &c: Nec solùm membra suum tenorem, ac situm in omnibus seruant, sed etiam partes membrorum. Nam in vno capite ipso certam sedem possident aures, certam oculi, nares item, os quoque, & in ore dentes, & lingua. Quæ omnia cum sint eadem in omnibus animantibus; tamen infinita, & multiplex*

Lactant. lib. de Opif. cit. c. 5.

diuersitas figurarum est; quòd ea, quæ dixi, aut productiora, aut contractiora lineamentis variè differentibus comprehensa sunt. Quid illud? Nonne diuinum, quòd in tanta viuentium multitudine vnumquodque animal in suo genere, specie pulcherrimum est? vt si quid vicissim de altero in alterum transferatur; nihil impeditius ad vtilitatem, nihil deformius ad aspectum videri necesse sit. Quid ad hanc elegantiam & varietatem sculptiles Ægyptiorum, aut Babyloniorum figuræ? rus merum & lusus puerorum. Neque sine caussa sanctissimi sapientissimique Patres Basilius, Ambrosius alijque, in libris Hexameron, non potuerunt satis admirari diuini opificis incredibilem in rebus etiam minimis sollertiam, in omnibus venustatem & vtilitatem.

§. II. *Quo pacto Mundus iste, gloriam Dei propaget?*

VII. Non est necesse hîc rerum singularum pulchritudinem atque vsum proponere. *Sap.* 13.3. *Rom.* 1.21. Sufficit cum auctore libri Sapientiæ, & cum D. Paulo ostendere, creaturas tantam in artificio suo sapientiam continere, vt mortales ad vnum omnes in Dei condito-

ditoris cognitionem possent perducere, nisi ipsi sponte cæcutirent. Quamobrem à S. Chrysostomo, Basilioque res creatæ *liber idiotarum* appellantur: & ita Mundum à S. Antonio esse vocitatum, testis est D. Athanasius. Quin apertè cœlum *liber* nominatur ab Isaia dicente: *Et complicabuntur, sicut liber, cæli.* Quod etiam S. Ioannes repetit, cum ait: *Et cælum recessit, sicut liber inuolutus*; tunc scilicet, cum in Inferno obscurabuntur mentes hominum, Deum in hoc libro non ampliùs legentium, aut inuenientium. Quippe liber est cœlum, in quo diuinæ laudes explicantur. *Cæli* enim *enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Nec cœli tantùm, sed etiam totus mundus. Verissimè siquidem Ecclesia canit: *Pleni sunt cæli, & terra maiestatis gloriæ tuæ.* Quo pacto autem? Gloria Dei est gemina, vna illi est interna & æterna; altera aduentitia & externa. Illa Deo accedere non potest; hæc vt supra dixi, in eo sita est, vt Deus, velut summum bonum, ab hominibus cognoscatur, ametur, &, vt ita dicam, cum suauissimo quodam animæ sensu possideatur. Quare cognosci, amari, & possideri ab homine Deum,

S. Chrys. hom. 9. ad pop. S. Basil. hom. 11. Hexā. S. Athanas. in vita S. Ant. Isa. 34. 4. Apoc. 6. 14.

Psal. 18. 2.

In Hymno SS. Ambrosij & August.

VIII.

Supr. c. 2. §. 4.

Deum, gloria eſt Dei. Qui & hominis finis eſt. Ceteræ res corpore conſtantes ad hunc gradum non poſſunt aſcendere, vt Deum noſcant, ament, guſtent. Vt ergo & ipſæ Dei gloriam, hoc eſt, cognitionem, amorem & guſtum illius, pro ſua quoque parte, attingant & adiuuent, hominem iuuant, eò aſcendentem. Itaque homo propter Deum: mundus hic reliquus, propter hominem, eſt conditus: qui ad gloriam Dei aliter facere non poteſt, quàm ſi hominem vel foueat, vel eò perducat, vt Deum cognoſcat, amet, & *quàm ſuauis ſit*, guſtet. Præſtat autem id duobus modis, dum corpori ſcilicet, & dum animæ eius ſeruit; ſic enim Mundus finem ſuum, ob quem eſt factus, obtinet; dum hominem ad finem ſuum tendentem adiuuat, perque ipſum hominem, finem quoque hominis, hoc eſt gloriam diuinam reſpicit, & attingit. Igitur ſi corpus in homine ſpectes, exhibet ei Mundus domum, & habitationem, item victum, amictum & vniuerſa, quæ ad vitam corporis exiguntur. Quocirca eſt illi in ampliſſimum elegantiſſimumque palatium, quod Numen ipſum omni genere ſupellectilis rerumque neceſ-

Leonard. Leſſ. lib. 14. de diuin. Perf. cap. 4.

necessariarum instruxit. Ibi quidquid oculos oblectat, quidquid palatum satiat, quidquid desiderat sensus, copioso prouentu est reperire. Sic Mundus homini seruit in ijs, quæ ad vitam corporis pertinent, vt scilicet viuere possit ad beatitudinem promerendam.

§. III. *An, & quid animæ Mundus ad notitiam Dei conferat?*

IX. Quia tamen corpus hominis vilior pars est, animæ multò magis prospexit Deus, dum Mundum, velut præconem aliquem, constituit, per quem illa Conditoris sapientiam, potentiam, prouidentiam, pulchritudinem, & bonitatem cognosceret; & quidem nullo non tempore aut loco, & apud quasuis nationes. Siquidem *dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ, neq; sermones, quorum non audiantur voces*, cœlorum gloriã Deiq; enarrantes, operumque ceterorum, quibus Dei virtus homini innotescit. *In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.* Ita non solùm nullum tempus, sed neque vllus est populus, aut locus, in quo gloria Dei ab hoc præcone, (*Psal. 18. 3. & seqq.*)

cone, clarissimè proclamata non inclarescat. Est autem hominis anima ita sensibus in hac vita illigata, vt sine eorum ope nihil intelligere possit. Vt ergo diuina maiestas ab anima per sensus externos cognoscatur, cœlum, terram, maria, reliquaque visibilia opera illi sua exhibet, & Mundum proponit, velut specimen aliquod infinitæ illius pulchritudinis, ac bonitatis.

X. Si enim picta imago, Apellis, aut marmorea statua, Praxitelis excellentiam; si ædificium Ionicum Architecti artem declarat; si in vase Mentoris, aut in scuto Phidiæ, arctissimè inpressa est Mentoris, aut Phidiæ memoria; cur hæc diuinæ excellentiæ tam luculenta vestigia in creaturis non agnoscamus? Nomina sua suis operibus memoriæ caussa inscribunt nobiles artifices, quod præter Senecam M. Tullius de Phidia ostendit, qui cum vellet nomen suum Mineruæ, quam Atheniensibus ex ebore & auro faciebat, inscribere, idque locatores prohiberent, seipsum, hoc est, similem sui speciem inclusit in clypeo Mineruæ. Imitatus est nimirum Phidias Mundi Conditorem, qui imaginem suam, nomenque omnibus ita impressit creaturis, vt ab

Senec. c. 1. de Tranq. Vita, & Consol. ad Albinã, Cic. Tuscul. Q. lib. 1.

vt ab ijs nulla vi, nulla arte, nulla vnquam aut hominum, aut temporum iniuria possit diuelli. Nam antè desinet esse creatura, quàm desinat à Creatore laudando dependere. Hoc ipsum scilicet est, quod Val. Maximus de artifice illo scripsit: *Phidias Clypeo Mineruæ effigiem suam inclusit, qua conuulsa, tota operis colligatio solueretur.* Sicut ergo Phidiæ opus non potuit videri, quin ipse quoque Phidias videretur; ita nec Dei opera, multoque minùs, possunt cognosci, non cognito eorum Conditore. Omnes igitur res creatæ litteræ quodammodo, aut libri sunt, è quibus Dei laudes cõponuntur, & cognoscuntur.

XI. Facilè venia datur lippientibus oculis, qui minutos characteres legere non possunt: at à cæcitate inexcusabiles sunt, qui tam grandes creaturarum litteras & volumina nõ cernunt. *Extensum cælum* totum *sicut pellem*, aiunt diuinæ litteræ, hoc est, velut membranam, in qua notitiam sui descripserit eius Conditor. Quare Bernardus *librum* nuncupat *communem catena alligatum, vt in eo Dei sapientiam legat, quicunque voluerit; plicandum, quando omnes in beatitudine erunt docibiles Dei.* Tunc enim ille os ad os loque-

Ps.103.2.

S. Bern. Serm. in id Ps. 84. Audiam quid loquatur.

quetur, tunc pręſentes erimus; nunc Deus nobiſcum per creaturas tanquam per litteras agit: tunc facie ad faciem eum videbimus; nunc *ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Ergo per ſpeculum & in ænigmate creaturarum eſt aſpiciendus, neque difficulter agnoſcendus.

Cant. 2. 9.

1. Cor. 13.

XII. Quis enim, in profundo maris, profundum abyſſi illius non agnoſcat? quis in magnitudine montium magnitudinem eius diuiniſſimam non extollat? quis in terræ firmitate æternam immobilitatem illius non fateatur? quis in cœlorum ſiderumq́; virtute inexhauſtam potentiam eius non intelligat? quis in luce ſtellarum, in fulgore lunæ, in ſplendore ſolis infinitam pulchritudinem eius non admiretur? Siquidem *gloria Domini plenum eſt opus* ſolis, ſicut & camporum, fluminum, *ſiluarumq́ꝫ virentium, ſaltuumq́ꝫ reconditorum.* Quis vel in vno homine artificium tot neruorum, venarum canales, oſſium fulturas, ac membrorum ordines non obſtupeſcat, & viuam viuentis ſtructuræ ſapientiam ſatis deſcribat? Quid mirabilitatis non habet ordo ille & concentus cœlorum tam certo curſu errantium, & tam

Eccli. 42. 16.

& tam constanti vicissitudine inexhaustam prouidentiam testantium? Neque XIII. cœlis igitur, aut rebus magnis hæc solùm insunt: sed in minimis quoque reperiuntur. Nihil enim est tam vile, nihil tam cõtemtibile, quod non sit plenum miraculis suis, & artificijs tam magnis, vt ab humana mente nequeant penetrari. Neque enim falsò dixit Christus *Salomonem in omni gloria sua non fuisse sic, sicut vnum ex liliis coopertum.* Hinc in vnico lilio plus est admirabilitatis, quàm in omni gloria Salomonis. Quod si in vnica re & vnico flosculo Dei potentia, sapientia & bonitas tam clarè lucet, quid non faciet tota vniuersi Mundi compages? Verè *ex magnitudine speciei* Sap.13.5. *& creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Inuisibiles enim Numinis perfectiones, iam inde ab exordio Mundi, per ipsa opera factæ sunt visibiles, & ex ipsis sapientissimè potentissimeque creatis rebus intellectæ videntur quodammodo, teste Apostolo. *Jnuisibilia enim ipsius à crea-* Rom.1. *tura Mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur.* Quæ illa inuisibilia? Prouidentia, immensitas, sapientia, quin & *sempiterna quoque eius virtus & Diuinitas.* Est igi-

tur Mundus instar tabulæ, in qua Diuinitas adumbratur: est instar speculi, in quo non est sistendum, sed per quod is cognoscendus est, qui illud formauit, formamque illi impressam huc vsque conseruauit. Vnde
1. Cor. 13. S. Paulus ait: *Videmus nunc per speculum.* Est denique Mundus liber, in quo sapientes quotidie proficiunt, stulti semper indoctiores stupidioresque fiunt, similes ijs, qui oculis sunt malè affectis, & ab ipso lumi-
XIV. ne excæcantur. Sicut enim amor Dei quia non quærit, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi & Dei, in rebus omnibus eundem potest inuenire, ita amor sui cæcissimus in rebus omnib. Deum amittit. Nam dum isti se vitiosè amant, se ipsos ante omnia considerant. Vnde non in magnam Dei, sed in magnam sui æstimationem efferuntur; seque ipsos circumspiciunt, & omnibus etiam pulcherrimis Dei operibus sua opera anteponunt. Quare ex immoderato amore bona omnia creata sui tantummodo commodi caussa appetunt, Dei autem gloriam negligunt. Hinc in omne genus vitiorum effunduntur. Appetunt enim primò ea, quæ speciem habent honesti, honores, titulos, magistra-

tus,

tus, imperia, famam, plausus populares, æternum nomen, ex quibus ambitio inanisque gloria existunt. Quidquid ergo honoris vident in mundo, censent sibi deberi. Deinde si quid aduertunt esse iucundum, si sensibus gratum, putant à se comparandum. Vnde rebus ad temperantiam exercendam creatis, vtuntur ad gulam pascendam, & ad libidines suas saturandas. Tum quia neque honores, neque voluptates comparari aut conseruari possunt, sine opibus & diuitijs, pecunias tanquam instrumenta rerum illarum, seu vi, seu fraude corradunt. Atque hæc auarities est. Quod si quidquam obsistit in his consequendis, in iram extimulantur, aut in inuidias, & odia Vatiniana. Tandemque huiuscemodi rebus peruersis animo penitus occupato, non relinquitur vllus pietati, & honori diuino locus. Hinc segnities illa, hinc tarditas, hinc ad virtutis opera horror, & cœlestia æstimandi difficultas, tædiumque in omni actione diuinas laudes spectante.

§)*(§



§. IV. Exempla eorum, qui ex Mundo in Dei cognitionem laudemq́ʒ ascenderunt.

XV. *Stephan. Paschas. in Aenigm.* Quis credat ſapienter factum? quod Stephanus Paſchaſius tamen ſapienter laudat. Cæcus longum iter ingreſſurus Domini ſui iuſſu, ducem viæ poſtulauit. Dedit illi. Sed qualem? Qui & ipſe oculis careret: vt dux non plus videret, quàm qui erat ducendus. Nec ſatis fuit oculis caruiſſe; caruit & auribus, vt ne interrogari quidem poſſet, non audiens interrogantes. Et ſi vel maximè audiuiſſet, tamen nec linguam habebat, qua reſponderet interroganti. Quodque accedit ad hæc omnia, etiam manibus deſtituebatur, quibus viam palparet more cæcorũ, aut quibus traheret ſequentem. Denique dux iſte pedibus quoque erat orbatus; & vt nihil ferè haberet, quod ad ducendum exigi videbatur, ipſa ampliùs anima non erat in illo. Et tamen hunc talem ducem illi Dominus quam maximè commendabat, hunc ſequi iubebat, hunc mandauit nec ad momentum eſſe deſerendũ. Quid expectemus? Hoc ille duce per campos, per ſiluas, per montes, per valles; per inuia & auia tutiſſimè penetrauit. Nam nec dux

dux ipse duce carebat. Nimirum aliud nihil erat, quàm baculus, quo ducebatur: vtique oculis, auribus, lingua, manibus, pedibus, anima carens, non carens tamen alio ductore. Nos quoque in rebus diuinis cæci sumus: longum nobis est iter ad cœlum peragendum: duce opus est. Deus nobis, ducis & baculi instar, creaturas omnes dedit: etiam quæ ipsæ Deum non vident, neque laudes eius audiunt, neque linguam, manum, aut pedes à Deo acceperunt, tamen nos ad Deum pulcherrimè ducunt, ductæ ipsæ à Deo. Hinc est quòd tergemini illi in Babylonico incendio, tãquam aurum, excocti pueri dixerunt. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Qui- *Dan.3.* bus profectò, etiam si antè Deum non cognouissent, ignis pro duce & baculo fuisset, & præluxisset ad veritatem. Sicut & ceteris sapientibus ceteræ creaturæ. E- XVI. tenim sapientes multos D. Gregorius, vel *S.Greg.* per solius cœli ductum & contemplatio- *lib. 26.* nem, ait in cognitionem venisse illius, *qui* *Moral.* *habitat in cælis.* Quanquam enim, vt re- *cap.8.* ctissimè S. Dionysius tradit, *omnis perfectio* *S.Dionys.* *creaturæ est prorsus longè sublimiore modo in* *lib. de* *Creatore*, potuerunt tamen veritatis inda- *Mystic.* *Theol.c.4.* *& 5.*

gatores per analogiam à creaturis aſcendere ad Creatorem. Cuius rei teſtis eſt

Pſal. 148. Dauid, qui dum omnes res creatas, *cælum, Angelos, virtutes, ſolem, lunam, ſtellas, aquas, dracones, ignem, grandinem, niuem, glaciem, ſpiritum procellarum, montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedros, beſtias, & vniuerſa pecora, ſerpentes & volucres pennatas* iubet in Dei laudes exurgere, quid aliud agit, quàm vt velit per hæc vniuerſa mortales duci ad diuina, & in his omnibus Deum agnoſci, diligi, prædicari; atque ei

Dan. 3. gratias referri? Idem tres plus quàm Spartanæ nobilitatis pueri in igne fecerunt, apud quos omnia opera Domini Dominum benedixerunt. *Quis tam expers humanæ intelligentiæ eſt*, ait Saluianus, *qui non agnoſcat, ac videat pulcherrimum Mundi opus, & inæſtimabilem ſupernarum infernarumq; rerum magnificentiam ab eodem regi, à quo creata ſit: quemq; elementorum fabricatorem, eundem etiam gubernatorem fore: qui cuncta ſcilicet, qua poteſtate ac maieſtate condiderit, eadem etiam prouidentia ac ratione moderetur?*

Saluian. Maſſil. Epiſc. lib. 1. de gubernat. Dei.

XVII. Quare & Philoſophi proſpicientem ex rebus conditis Conditorem agnouerunt; vt teſtis eſt Plato, Plotinus, Philo,

Plat. 7. de leg. Plotin. Ennead. 3.

Philo, alijque complures. Quin & ipse S. Paulus, qui cum dixisset, Deum præteritis seculis ad gentes non misisse perinde Prophetas, sicut ad Iudæos, ne videretur eos excusare de ignorantia sua, adiecit: tamen *non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cælo, dans pluuias & temporum fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra.* Habuerunt ergo & illi de Deo testimoniũ. *Quod est autem hoc testimonium*, ait S. Prosper, *quod semper Domino deseruiuit, & nunquam de eius bonitate ac potestate conticuit? nisi ipsa totius Mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum, ac voluminibus temporum, communis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur?* scilicet vnum esse omnium sapientissimum, potentissimum, optimum Creatorem, cui omnes ad amorem, timorem, cultum, obedientiam ac seruitutem obstringantur. *Cælum ergo*, ait eodem loco Prosper, *cunctaq; cælestia, mare, & terra, omniaq; quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisq; consensu protestabantur gloriam Dei; & prædicatione perpetua ma-*

lib.8.c.10. Philo.2. Allegor. legis.

Act.14.17.

S. Prosper lib 2. de Vocat. gent.c.4.

XVIII. *iestatem sui loquebantur auctoris.* Hac de caussa Isaias inuitat homines, vt in excelsum attollant oculos, videantque, quis hæc creârit. *Leuate*, ait, *in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisq; eius, neq; vnum reliquum fuit.* Quid sacris testibus vtimur? vel è profanis Philosophis vnum audiamus. *Illud maximum*, ait Athenagoras, *acceptissimumq; sacrificium arbitramur, quis tetenderit cælum, & in orbem reduxerit, considerare.* Et Cicero negat, esse vllum tam vecordem, qui cum suspexerit in cœlos, Deos esse non sentiat: nec esse aliquid posse apertum magis & perspicuum. Quamobrem etiam alij veterum Philosophorum ex ordine & venustate orbium cœlestium, Dei naturam affirmauerunt. Immo quidam *se ideò natos* asseruerunt, *vt cælum suspicerent, vnde in Numinis ipsius cognitionē peruenirent.* Quin adeò eximiè sidera, cœlique opificis sui sapientiam, potentiam, & bonitatem exprimunt, vt nonnulli Gentiles nimia formositate capti, iudicia præcipitârint, & per cæcissimum errorem ipsis etiam diuinitatem

Isa. 40. 26.

Athenag. in Apolog.

Cic. de Harusp. responsis, & 2. de Natura Deor.

tem attribuere non dubitârint. Ita Mundus iste totus laudat, benedicitque Conditorem, atque ad eum, quem ipse non videt, nos ire iubet, & velut digito intento ducit: quantum enim in ipso est, omnes homines excitat ad laudandum Conditorem. Neque vllus Mundi melior est vsus maiorque bonitas, quàm vt opificis sui repræsentet perfectiones. Ad hoc enim præcipuè res omnes sunt conditæ. *Cælum*, ait S. Prosper, *terra, & mare, omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè dispositã est humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de tot contemplatione specierum, de experimentis tot bonorum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur auctoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo viuimus, mouemur, & sumus.* Sic imbutus erat sanctus ille miles, qui identidem ad æternitatem anhelans dicebat: *Heu quàm sordet terra, cum cælum aspicio!* Et ille cuius hæc vox est: *Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?* Hi longè, quàm quidam Philosophi, sapientiùs, non ipsius operis, sed ipsius in opere opificis diuinitatem atque hinc rursus suam vilitatem, agnouerunt.

XIX.

S. Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 4.

Petr. Rib. in Vita S. Ignat. lib. 1. cap. 2.

Ps. 72. 25.

§. V. *De ijs, qui creaturis vel tanquam virtutum magistris vsi, vel tanquam vitiorum instrumentis abusi sunt.*

XX. Quin etiam innumeri extiterunt, qui omnis generis virtutes virtutumque documenta & occasiones à creaturis acciperent, discerentque quemadmodum Mundi fabricatorem venerarentur. Refert Eusebius ex Origene, in libro, qui vocabatur Narratio Ioseph, dixisse Iacob, *se legisse in tabulis cæli, quæ filijs prædicebat.* Certè haud pauci & in cœli, & in totius creaturæ tabulis legerunt, quæ sibimetipsis saluberrimè postea occinuerunt. De S. Ignatio Religionis nostræ parente narratur, *eum ex tenuissimis rebus ad Deum, qui in minimis etiam maximus est, ascendisse, & è singulis vtilissima ad vitæ informationem documenta cepisse.* Quam rem carmine iuuenili adumbratam dabo.

Petr. Ribaden. lib. 5. de Vita S. Ignat. c. 1.

XXI. *Ignis es, Ignati, totus virtutibus ardes:*
Te minùs ipsa suis ignibus Æthna calet.
At cur non tantis potuisses gliscere flammis?
Cuius & à gelidis est calor auctus aquis?
Cœlum, terra, dies, nox, campi, flumina, siluæ,
Omnia virtuti sunt alimenta tuæ.

Quic-

Quicquid adis, quodcunque oculo, vel mẽte tueris,
Instar apis, dulces colligis inde fauos.
Intras purpureis vernantem floribus hortum;
O Deus, exclamas, pectoris hortus vbi est?
Mulcent te zephyri violis halantibus; optas
Ante Deum fieri, mox quoque talis odor.
Virgineo reperis argentea lilia vultu;
Mentis, ais, nostræ, Christe, sit iste color.
Dispositas ex arte rosas flaccescere cernis;
Sic omnis, clamas, forma venusta fugit.
Pendula curuatis aspectas pondera ramis;
Hoc, genus humanum perdidit, inquis, onus.
Sanguine differtas grandescere conspicis vuas;
Eheu tam siccum est cur mihi pectus, ais?
Pruna vides claras sub frõde imitantia gẽmas;
Quàm pulchrũ est fructus, dicis, habere suos!
Puluere te medio gelida tegit arbor in vmbra;
Sic, ais, est homini, sub cruce grata quies.
Tellurem calcas herbis & flore nitentem;
Sic homo mortales proterat, inquis, opes.
Visa papauerei tibi si fæcundia floris;
Quid parit, ingeminas, desidiosus homo?
Flexa supinato cum fluctuat herba maniplo;
Monstrat, ais, vires ista figura meas.
Vermiculum cernis per gramina repere: paruo
Hoc ego verme, inquis, vilior esse queo.

Vmbram

Vmbram sub planta vermis sibi cōstruit; inquis,
Vmbra fui, nunc sum plantula, vermis ero.
Decidit in terras grauidis è nubibus imber,
Quàm sine nil cæli possumus, inquis, ope?
Aëre purgato, profligat nubila ventus;
Sic quoq; mors, dicis, gaudia vana fugat.
Suspicis, & volucrem tranare per æthera cernis;
Sic, ais, ad cælum quàm volitare velim?
Nox ruit, & fuscis terras amplectitur alis;
Mox tenebris culpas asseris esse pares.
Effulgent Hyades, & stellis lucet Olympus;
Sunt meliora, inquis, sidera; terra vale.
Sol oritur reuehitq; diem lux præuia mundo;
Absq; Deo clamas, quod fuit, vmbra fuit.
Vertitur in gyros cælum reuolubile; molem
Qui mouet hāc, inquis, méne mouere nequit?
Omnia præsentem tibi monstrant esse Tonantē:
Et licet hunc oculis cernere vbiq; tuis.
Quin etiam apparet rebus mihi Numē in ijsdē?
Heu, culpa est oculis attribuenda meis!

XXII. Si enim oculi mihi pares essent, & ad eundem videndi modum eruditi, paria non deessent documenta, quæ viderentur. Vtinam igitur mihi Deus oculos concedat Ignatianos, quibus virtutes Ignatianas possim comparare! Nihil tunc profectò aliud viderem, quàm Numinis preciositatem

tatem & meam vilissimam vilitatem. Sicut enim seipsum qui amat, omnia propter se amat, quæcunque illi terra offert: ita quisquis Deum amat è creaturis cognitum, seipsum contemnit, nec iam quidquã propter se, sed propter Deum omnia aspicit atque agit. Vnde nihil quærit, nihil appetit, nisi quod ad diuinam gloriam iudicat pertinere. Ad quam non multum profectò pertinet, vt nos hîc honoremur: neque vt delicijs perfruamur terrenis; sed vt purissimas illas diuini spiritus voluptates quæramus, quæ ex cognitione & amore rerum diuinarum capiuntur. Hinc quicunque est impetus iræ, in ardorem rerum spiritualium conuertimus: & quoniam, præ cœlestibus delicijs, caduca omnia despicimus, nulli ea inuidemus, spiritualia longeque maiora bona possidentes. Quare, animo à curis rerum fluxarũ humanarumque expedito, alacres efficimur, & toti in animæ salutem negotiaque diuina incumbimus; neque locum inertiæ aut desidiæ relinquimus, more illius, qui dixit: *Heu quàm sordet terra, cum cœlum aspicio?* Quod nemo dicere potest, nisi qui sapit. Nam qui desipiunt, profectò sæpe dicunt:

Heu

Heu quàm ſordet cœlum, cum terram aſpicio? nempe *quorum Deus venter eſt.* Ita à terra & cœlo diſcunt contemnere terræ & cœli Conditorem; cum alij in mundo, velut in libro, eundem agnoſcant, legantque: quemadmodũ vidimus S. Ignatium factitauiſſe.
XXIII. Quare idem ille optimus morum magiſter, quique eum deinde, in conſiderandis anteactæ vitæ annis, ſunt ſecuti, cum vellent de peccatis ſuis ſerium dolorem concipere, ſeque ipſos rubore ſalutari aſpergere, atque, vt à Chriſto iubemur, in nouiſſimo loco recumbere, cũ omnib. ſe ſe creaturis comparauerunt. *Quid*, inquiebant, *ego poſtremiſſimus incipiam? quo me vertam? Ad eaſne res, quæ vita animaq́ue carent? En cœlum, vt per tot ſecula acceptum ſemel à Deo curſum, iuſſum ordinem, ſtatuta tempora, conſtantiſſimè ſeruat! Ego nec integrum quidem diem ſic curro, vt Deus mandauit. Nihil in me moderatum, nihil certum: neque ordinem, neque tempus ritè ſeruo. Sidera aſpiciam? At illa debitis itineribus iam congrediuntur, iam à ſe ſe abſcedunt, vt Deo placet, & homini prodeſt. Ego miſer omnia diuina humanaq́ue iura perturbo, viaſq́ue peruerto, quibus eundum eſſet ad aliam melioremq́ue æternitatem.*
Sol

Sol vndequaque radios & lumen suum benignissimè effundit: sic deberet & mea lux lucere coram hominibus. At iam in contrarium palmam possideo: tenebras amo, & peccatorum caligine sepultus sum, nocteq; ipsa animi mei delector. Sed & in ipsa nocte Luna pulcherrimè effulgens turpitudines meas detegit & accusat. Planetæ omnes nunquam cessant vim suam in hæc inferiora transmittere: ego in ocio dego, nec ferè cuiquã prosum: immò cum alij mihi prodesse volunt, cum ipse S. Spiritus virtute sua in me multa conatur efficere, manibus pedibusq; reluctor. Vtinam non etiam, quibus prodesse deberem, scandalo essem. Ignis viuacissima res est, & summa vi ad agendum pollet; quæcunque habet obuia; incendit; quæ vicina, calefacit: quæ remotiora, illustrat: ego vbicunque laus gloriaq; Numinis agitur, ignauissimè torpeo, & frigeo semper; in iram solùm, & furorem ceteraq; vitia calidus: & nunquam magis clarus, quàm cum me abscondere deberem; neque enim luceo, vt alios illustrem, sed vt obscurem. Aër animantibus liberaliter se se ad respirandum accommodat: quoties ego pias animi mei suspirationes opprimo & suffoco? quoties cælestes afflatus excludo? De vanitate cum sermo perstrepit, aures animumq; aperio. De animæ salute

salute cum compellor, terreor & auersor. Aqua rigat, lauat, refrigerat: ego tanquam menstruata femina, quacunque incedo, sterilitatem induco; nec iam sordes ab aliis abstergo, sed exemplorum abominanda fœditate socios omnes contamino. Non audeo ergo ad hæc altiora oculos attollere. Erubesco, quoties aurora tam formosè erubescit, & me tam nullis virtutibus ornatum aspicit. Palleo, quoties candidum diem ire video, & in me candorem desiderari animaduerto. Muto colorem, quoties iridem solis imaginem cerno tanta colorum varietate relucentem; cum interim in me diuini illius & æterni solis imago sit tam fœdè obscurata. Superest igitur, vt cum Publicano oculos in terram deiiciam. Verùm & illa, quàm est fæcunda? quàm vtilis? quàm multos variosq́ progignit fructus ad nos alendos? At ex me quid vnquam existit boni? Puluis ipse, ipsum lutum, ipse fimus, ipsa testa vlceri radendo apta, denique quidquid est, vtile est suumq́ habet emolumentum: ego solus seruus sum inutilis, qui plurimùm à Deo accepi, minimum, immo nihil restituo, quasi sicca arena imbrem bibens, & gramen non reddens. Cum interea tot herbæ salutares, tot picti flores, tot opulentæ arbores, tot densæ siluæ, id ad quod natæ sunt, diligentissimè

tissimè præstent; feræq́; omnes & hominum vsui deseruiant & pleræque etiam eorum imperia patiantur. Ita quem natura ferè supra omnes res extulit, malitia, infra omnes detrusit. Immo ego meipsum detrusi. Quid igitur mirum si iustus iudex & ipse infra omnes creaturas in infernum me proÿciat, cum in Deo meo laudando patiar mihi eas omnes esse superiores? Quid indignum facerent, si in me, tanquam hostem suum, omnes creaturæ insurgerent & iracundissime armarentur? Si cælum in me fulmina spargeret; si terra dehiscens, tam inutile pondus nollet ampliùs sustinere? Sic sapientes Mundum aspiciunt, sic creaturarum consideratione inardescunt: Deoque dicunt: *Quamuis ignis eris, quamuis aqua, semper amabo.* (*Virgil. in Diris.*) At *impÿ non sic:* sed ijsdem creaturis, quasi gladio in salutem dato, se ipsos vbique iugulant. (XXIV. *Psal.* 1.) Siluæ, maria, aër, quasi intemperantiæ essent mancipia, ita feras, pisces, aues in gulam illorum ministrare coguntur. Horti, agri, luci, quasi scena essent obscænitatis, ita confidenter aiunt, *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* (*Sap.* 2. 8.) Tempus ipsum vitia sibi distribuunt; quasi Deus dies ad potandum, noctes ad grassandum creauisset.

Immo quid multis vtor? Audite & obſtupeſcite cœli! Stellæ veſtræ lucidiſſimæ, & vel aquilinis oculis innumerabiles, hoc noſtro conſceleratiſſimo æuo, hunc denique vſum habere cœperunt, vt atrociores Deum conditorem blaſphemiæ poſſent proſcindere; dum per tot ſacramenta, quot ſidera, etiam Ethnicis inaudita impietate, & vtique Acherontico inuento iuratur. Bono animo eſtote, impij graſſatores, ad ſidera non peruenietis, qui ſidera exiſtimatis creata ad augmentum veſtrarum blaſphemiarum. Quid cœlum ſperatis, quod ſacrilega hæc veſtra crimina ipſum accuſabit, & tot teſtes contra vos producet, quot ſtellas temerauiſtis? Non enim iam illuc veſtras virtutes inſcribitis; ſed ſideribus, quaſi calculis vtimini, vt vno halitu tot blaſphemias multiplicetis, quot ſtellas numeratis. Egregij Numinis imitatores, qui in ictu oculi, vnoq́ue verbo tot in terris blaſphemias ponitis, quot Numen in cœlo ſtellas collocauit. O impiæ! O deteſtabiles linguæ! ideóne Deus voluit tot clariſſima ſidera in vtilitatem veſtram de cœlo lucere, vt vos normam haberetis, modumq́ue deſperatiſſimorum flagi-

flagitiorum vestrorum numerum augendi? Nempe si plures stellas ille condidisset, plures quoque vos blasphemias in cœlum & sacrosancta Sacramenta euomeretis. Ita nimirum cum Deo certatis, vt totidem beneficijs malefacta, & scelera semper plura ac plura reponatis. Quanquam & iste satis grandis est numerus vestrorum flagitiorum. Si enim totus ille circulus lacteus ex minutissimis stellulis cõponitur, quantum necesse est esse numerum vestrorum tam inuerecundè & desperatè multiplicatorum Sacramentorum? Neque satis est iste numerus, eò Tartareus furor progreditur, vt hac nostra ætate per tot Sacramenta iuretur, quot extant in siluis arbores, in campis pulueres, in terris arenæ. Horreo hæc dicere: sed cogit veritas. Nondum etiam ista sufficiunt. Quot sphæristerium, & lusoria, vel potatoria, aut etiam scortatoria domus, quot plateæ amplæ, quot integræ vrbes, quot denique totus iste Mundus vsque ad cœli firmamentum potest capere, per tot nunc iuratur Sacramenta. Et miramur hos postea tam subitis mortibus, tam sine Sacramentis è vita ista expelli? miramur pestes tam diu grassari?

ſari? Si ob vnam blaſphemiam Deus totos populos plexit; non plectet, ſi multos inueniat, quorum ſinguli non ſolùm tria millia Sacramentorum vno modio admetiantur, ſed totum Mundum vſque ad firmamentum blaſphemijs adimpleant? Quã longè alium cœlo deſtinati finem habent ſtellas & Mundum intuendi? quàm longè alio pacto creaturas vſurpant? quæ illis omnes ſunt in deteſtationem ſcelerum, atque in documenta virtutum. Hinc noctes dieſque, in omni dicto & facto, ex ore il-
Dan.3.57. lorum auditur: *Benedicite omnia opera Do-*
XXV. *mini Domino.* Quàm ergo miſerè à ſcopo & ſuo, & Mundi, & Dei aberrare eos neceſſe eſt, qui in pulcherrimi iſtius operis contemplatione, non modò non accenduntur ad Conditorem eius amandum; ſed etiam occaſionem ſumunt, vt adeò
Deut.32. 18. *obliuiſcantur Domini Creatoris ſui*, vt ad eum etiam de gloria ſua deturbandũ per ſummum ſcelus aggrediantur: ſimiles febri æſtuante deprauatis, quibus vinum venenum eſt, quod aliàs *lætificat cor hominis*, vireſque reddere ſolet firmiores. Sicut ergò vitium non in vino, ſed in ægroto eſt, ita non Mundus, à Deo in hominum ſalutem

tem factus, non creaturæ diuinam maieſtatem monſtrantes, ſed oculus nequam, ſed cor prauum, ſed peruerſa voluntas, ſed extrema impietas in cauſſa eſt, vt inueniantur, qui dicant *malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum*; perque creaturas bonas ipſi mali, bonum Deum non agnoſcant, ſed grauiſſimè lædant: cum tamen creaturæ quotidie clariſſimis vocibus clamitent: *Venite exultemus Domino; quoniam Deus magnus Dominus: & rex magnus ſuper omnes Deos. Quoniam ipſius eſt mare & ipſe fecit illud: & ſiccam manus eius formauerunt.* Quid ſimile clamauit de Nectabe, de Imande, de Petaſucco, aut Pſammeticho *Labyrinthus?* Manifeſtum eſt ergo, incomparabiliter Deo meliùs poſſe gloriam redire ex Mundo, quàm regibus profanis ex *Labyrintho*: verumque eſſe, quod dixit S. Dionyſius: motum diuini amoris, circulo eſſe ſimilem, qui circino ducitur: ille enim incipiens ab vno puncto circumducitur, finiturque in eodem, à quo inceperat. Ita opera Dei, ab ipſo Deo incipiunt, eiuſque auxilio hominem ad Deum reducunt.

Iſa.5.20.

Pſal. 94. 1. ſeqq.

S. Dionyſ. de diuin. nom. c. 4. p. 1.

Caput V.

MVNDVM ET LABYRINTHVM ETIAM RATIONE HABITATIONIS comparari.

§. I. *Reges in parte aliqua Labyrinthi fuisse: Deum in toto Mundo longeq́; gloriosius habitare.*

I. *Horat. lib. de arte Poet.*



Mne punctum tulisse eum, qui cum iucunditate vtilitatem miscuit, antiqui Poëtæ sententia est. Quod etiam conati sunt facere *Labyrinthorum* conditores, quorum finis erat, iuxta & ex pulchritudine operis gloriam nomini suo quærere, & ex ipsa habitandi securitate dignam sibi amicisque suis sedem ponere. Hinc alij prodiderunt, *Labyrinthi opus* esse *in regiones diuisum, atq; in Præfecturas (quas vocant nomos) sedecim, nominibus earum totidem vastis domibus attributis*; vt vna domus, Præfectura Memphitica, alia alio nomine appellaretur: *præterea templa omnium Ægypti Deorum* continere. Et alius scribit; locum illum habere *multorum regum regiam, quot priùs præfecturæ erãt,* hoc est, sedecim numero, à quo tamen alij discedunt, dum duodecim tantùm regias numerant: nempe eas tantùm in quibus reges ipsi habitarunt, cum tamen

Plin. lib. 36. c. 13. Nat. hist.

Strabo lib. 17.

men, quas Plinius *vastas domos* vocat, & ipsæ ob splendorem possent regiæ nominari: quarum vtique sedecim extiterunt. Vnde rursum Strabo: *Dicunt, tot aulas ibi factas esse, quot mos esset omnes præfecturas eò conuenire, atq; epulum quoddam sacris viris ac mulieribus fiebat, sacrificij gratia Deo reddendi, & iuris dicendi de rebus maximis: & quæque præfectura in suam aulam procedebat.* Et Pomponius, *Psammetichi*, ait, *opus Labyrinthus domos mille, & regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus est.* Denique plus affirmat Herodotus, qui sic loquitur: *Duodecim eius aulæ sunt tecto opertæ, portis oppositis altrinsecus: sed ad aquilonem contiguæ, totidem ad austrum vergentes, eodem extrinsecus muro præclusæ. Bifaria in eo sunt domicilia, vna subterranea, altera superiora illis imposita, vtraq; numero tria millia quingenta.* Quibus Plinius addit, caussam faciendi in Ægypto variè interpretari auctores; & ex Demotelis sententia, *regiam Motherudis fuisse*, plures autem asserere, *Soli sacrum id extructum.* Ex quibus intelligere est, in *Labyrintho* & reges, & amicos regum, & ipsos quoq; Deos habitauisse. Deus noster, etsi sibi ipse sufficientissimus *ante om-*

Pompon. Mela. lib. 1.

Herodot. lib. 2.

Plin. loc. cit.

II.

nia erat & Mundus, & locus, & omnia, vt ait Tertullianus, neque nunc domo locoúe indiget, tamen in Mundo iſto, velut in domo quadam regia, habitat. Cum enim ſit immenſus, non poteſt non eſſe vbique. Probè Anchiſes apud Maronem,

Tertull. lib. contr. Praxeam cap. 5.

Virgil. lib. 6. Aeneid.

Principiò cælum, ac terras, campoſq́; liquentes,
Lucentemq́; globum Lunæ, Titaniaq́; aſtra
Spiritus intus alit: totamq́; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Virgil. Ecloga. 3.

Et alius, neſcio quis: *Iuppiter eſt, quodcunq; vides,* hoc eſt, *Iouis omnia plena,* vt idem Maro loquitur. Idem Pythagoras apud S. Saluianum indicat his verbis: *Animus per omnes Mundi partes commeans atq; diffuſus,* (eſt Deus) *ex quo omnia, quæ naſcuntur animalia vitam capiunt.* Ita Pythagoras. Et S. Auguſtinus, cum dixiſſet, incorpoream illam naturam, non contineri loco, ſed vbique totam eſſe, addidit: *Non enim quia dicimus Deum, & in cælo eſſe, & in terra (ipſe quippe ait per Prophetam: Cælum & terram ego impleo) aliam partem dicturi ſumus eum in cælo habere, & in terra aliam, ſed totus in cælo eſt, totus in terra: non alternis temporibus,*

Saluian. lib. 1. de Guber. nat. Dei.

ſed

ſed vtrumq; ſimul, quod nulla natura corporalis poteſt. Idem docuit D. Cyprianus dicens: *Deus vnus eſt, & vbiq; totus diffuſus*; non tantùm per hunc mundum, ſed etiam extra hunc mundum per immenſum illud ſpacium inane. Atque idcirco ſcriptura ait: *Et magnitudinis eius non eſt finis*. Et alio loco: *Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? longior terra menſura eius, & latior mari*: ita in Mundo eſt nimirum, vt non ſit commenſus Mundo, ſed vltra, ſed extra, ſed citra: adeò vt nec loco moueri poſſit, nec valeat incipere eſſe in ſpacio, vbi nunc non eſt, nihilque ipſo queat maius cogitari. Quare ſapienter ille, *Si cælum*, inquit, *& cæli cælorum non te capiunt, quantò magis domus iſta, quam ædificaui*, te non capiet? Magna fuerat domus Salomonis, Deum non cepit: magnus eſt Mundus, Deum non capit; magnum inane illud, in quo mille adhuc mundos ſtare poſſe cogitamus, tamen Deum non capit: atque ex hoc ipſo nos Deum aliquo modo capimus, quàm ſit magnus, cum dicat: *Nunquid non cælum & terram ego impleo?* Ita enim Baruch cepit, cum exclamaret: *O Iſraël, quàm magna eſt*

S. Cyprian. lib. Quòd idola dij non ſint.

Pſal. 144.

Iob. 11.

2. Paralip. 6.

Ierem. 23.

Baruch. 3.

domus Dei, & ingens locus possessionis eius? magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus. Sic ex Plutarcho Gellius scribit, *scitè subtiliterq́; ratiocinatum Pythagoram in reperienda modulandaq́; status longitudinisque Herculis præstantia. Comprehensa* enim *mensura Herculani pedis, quanta longinquitas corporis ei mensuræ conueniret, secundùm naturalem membrorum omnium inter se competentiam; modificatus est.* Quod & in Dei magnitudine Propheta alijque fecerunt. Si enim totum hunc Mundum implet, si mille mundos impleret, neque etiam tota illa quæ cogitari potest, vastitas eum caperet, profectò magnum esse oportet, & *magnitudinis eius* immensitatisque *nullum finem.* Atque tanto maior est, quia non solum in tam immenso est spacio, sed etiam quia, vt Cyprianus ait, *vbiq; totus diffusus* est, ita vt in omnibus spacijs & punctis sit cum omni sua essentia, potentia, bonitate, sapientia, & sanctitate. Verè enim Sanctus Doctor ait: *Qui imples omnia, te toto imples omnia. An quia te totum non possunt capere omnia, partem tui capiunt, & eandem partem simul omnia capiunt? An singulas singula, maiores maiora, minores minora capiunt?*

A. Gell. lib. 1. Noct. Attic. c. 1.

S. Cypr. loc. cit.

S. Augustinus lib. 1. Conf. cap. 3.

piunt? Ergo est aliqua pars tua maior, aliqua minor? An vbiq; totus es, & res nulla te totum capit? quia ſcilicet ita totus es in ea, vt ſis etiam extra eam. Quare cum omnibus tuis bonis, cum tota Trinitate perſonarum magis præſens es huic Mundo, quàm ſit ipſe ſibi præſens. Mundus enim non eſt totus præſens ſingulis ſuis partibus, nec vna eius pars alteri: tu autem totus toti Mundo es ita præſens, vt totus quoque ſingulis eius partibus adſis.

§. II. *Quinam, & quid, ex Dei in hoc Mundo vbiq; habitantis præſentia, diſcant?*

III. Quamobrem totus iſte Mundus eſt tanquam templum quoddam diuinitatis intima Dei præſentia vbique ſanctificatum. Hinc neceſſe eſt, vt ipſum vbique præſentem ſpectemus, vbique veneremur, vbiq; timeamus, vbique laudemus & colamus, ſemperque in eius præſentia, velut in ſacro quodam templo, nos verſari exiſtimemus. Sic Dauid fecit, cuius illa ſunt: *Quò ibo à* *Pſal.138.*
ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim

illuc

illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Sicut ergo vbique à Deo debemus teneri & conseruari, ita necesse est, vbique iam antè esse Deum, eumque à nobis vbique tanquam conseruatorem agnosci & honorari: quo pacto ille agnouit & inuocando honorauit, qui dixit: *Quia sine te non esset, quidquid est, fit, vt quidquid est, capiat te. Quoniam itaque & ego sum, quid peto, vt venias in me, qui non essem, nisi esses in me? Quo enim recedam extra cœlum? Non enim ego iam in inferis, & tamen etiam ibi es.* Quare hac quoque parte *Labyrinthi* auctores superantur, illi enim in vno *Labyrinthi* loco inclusi fuerunt, & vix ibi habiti in honore: Deus in toto hoc mundo, in omnibus eius partibus, & incolis partium vbique totus habitat, omniumque oculos in se conuertit, omnium ad se rapit venerationem. *Immensitas diuinæ magnitudinis, ita est,* ait S. Isidorus, *vt intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum: & ideò interiorem, vt omnia contineat; ideò exteriorem, vt incircumscripta magnitudinis suæ maiestate omnia concludat. Per id ergo quod est exterior, ostenditur esse creator; per id quod interior, gubernare omnia*

S. August. lib. 1. Cōf. cap. 2.

S. Isidor. lib. 1. de summo bono c. 2.

omnia demonſtratur. Igitur ſeu Creatorem, ſeu Gubernatorem vbique præſentem colere, timere, in oculis, in veneratione habere debemus; vt dicere poſſimus, *Et in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.* Sancta enim habitatio, eſt Dei habitatio. Ob quam cauſſam & templa ſancta habentur: & quædam peccata ſi in templis fiant, ſacrilegia eſſe iudicantur. Nulluſque eſt ita extremè proiectus, vt in templo non magis horreat peccare; aut qui non excitetur, ſi putet in oculis Domini ſui ſe verſari. Quemadmodum & feminæ aliquæ quantumuis alioqui ſuperbæ, ſæpe tamen domi ſolutis & impexis crinibus, inſtar Furiæ alicuius incedunt, quia putant ſe ſe extra oculos videntium eſſe conſtitutas. Aſt vbi in publicum procedunt, vbi forum, aut templum adeunt, tum ſe comunt, tum ornant, tum turres capillorum exædificant, tum cyclades ſericas pauonum inſtar, & ſtrepentia ſyrmata poſt ſe ſe trahunt, quia nôrunt ſe in hominum oculis verſari. Profanum hoc eſt exemplum; ſed ingenia tamen hominum demonſtrat, apud quos multùm efficere poteſt, *videri*; quamuis nihil agant, vt videantur. Nam etiam

Eccl. 24. 14.

etiam ita prorsus sedulò Numini ministrant, quicunque assiduè meminerunt, se coram eo *in habitatione sancta ministrare*.

IV. Quocirca Abrahamo apparens ait: *Ego*
Gen.17.1. *Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus.* Et Dauid: *Oculi mei semper ad Dominum.* Quin iterum, & sæpius: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Firmabo*
Ps.24.15. *super te oculos meos. Ecce sicut oculi seruorum,*
Ps.18.15. *in manibus dominorum suorum, sicut oculi an-*
Ps.31.8.
Ps.122.2. *cillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Quid ni? si oculus Domini saginat equum, quòd præsentiã eius semper soleãt famuli magis vereri, cur non & nos coram eo, qui in omni loco est consideratq; iustos & iniustos, reddamur excitatiores? *Ipse manet intra omnia,*
S.Greg. lib.2. Moral. c.12. inquit D. Gregorius, *& extra omnia, ipse supra omnia, & infra omnia; superior per potentiam, inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interiùs penetrans; nec alia parte superior, alia inferior; aut alia parte exterior, alia interior: sed vnus & idem, totus vbique præsidendo sustinens, & sustinendo præsidens: circumdando penetrans, penetrando circumdans.*

dans. Hæc qui agnoſcit, & tam præſente Deo peccare non erubeſcit, non ſolùm fronte, ſed etiam mente caret. At cui mens eſt, ſemper ad Deum aſpicit, tanquam ad optimam actionum cynoſuram. Nam *oculi ſapientis in capite ſuo*, id eſt, in Deo, qui eſt caput noſtrum. *Eccl.2.14.* Sic in primis ipſi in cœlo Beati, quibus nihil ſapientius eſt, *oculos in capite* & auctorē ſuo ſemper defigunt, neque ab eo ad momentum auertunt; eſtque hæc ipſa eorum beatitudo, *Deum videre præſentem.* Quamobrem & *Angeli ſemper vident faciem Patris, qui in cœlis eſt:* & Sanctiſſima Dei mater filium Deum ſemper præſentem intuetur: & ceteri omnes Deum, ſicut præſentem habent, ita cernunt. Hinc æternus ille amor, hinc gaudia perpetuanda: hinc illa ſecuritas nunquam in peccatum, aut vllum malum prolabendi. Ad quos imitatione quadam ſancti in terris proximè accedunt. Nam & illi, quo ſunt ſanctiores, eò attentiùs Deum cogitant vbique præſentem. Hinc Abraham; ceterique Patriarchæ, hinc Prophetæ, hinc alij Dei ſerui dicuntur, *coram Deo ambulauiſſe.* Atque hic eorum ad Deum, & Dei ad eos oculus fecit,

V.

Matt.18.10.

vt ad

vt ad omne genus arduarum virtutum identidem, tanquam à præſente igne incenderentur; & à peccatorum illecebris longè faciliùs ſeſe abſtinerent.
VI. In quorundam Principum primis ædibus aut ædium veſtibulis brachium ſolet pingi ſecuri ſuperpoſita, quaſi pictam manum illico ablatura. Quo ſigno indicatur nihil ibi tentandum tumultus, aut rixarum, nihil domo indignum, vel loco inconueniens eſſe audendum, vbi ſcilicet Princeps ipſe degit. Degit profectò Deus in toto hoc Mundo, tanquam in domo ſua. Magnus vtique Princeps. Et audes, miſelle homuncio, in hac eius domo tumultuari? audes rixari? audes duella, vulnera, funera meditari? *Iam ſecuris ad radicem poſita eſt:* excindet te Deus, & amputabit dexteram tuam, immo vitam tuam, indignam quæ in hac ſancta Dei domo, in iſto ſacro eius templo tam proiectè tranſigatur.

Matth. 3. 10.

VII. Alfonſus Arragonum rex cum aliquando in caſtris ſub tentorio ſtaret abſconditus, miles eius neſciens eum tam propè abeſſe, neque ſuſpicans tam eſſe præſentem, malè cœpit de eo dicere: Cui Alfonſus (vt & clemens & lepidus erat in dictis) *Recede,* inquit,

Vide Parallela

inquit, *longiùs, ne te rex audiat ſibi malè loquentem.* Nimirum haudquaquam linguã in conuitia exeruiſſet miles, ſi ſciſſet ſibi regem tam eſſe vicinum; à quo pro maledicentia ſua extrema ſupplicia reportare potuiſſet. Et tu, ô impie peccator, ſcis Deum tibi vbique non modò vicinum, ſed ita intimè in rebus omnibus præſentem, vt quidquid eſt creatum, ſit velut tenuiſſimum quoddã tentorij tegumentum, quod magnum illud arcanum, & Sanctum ſanctorum velat; ac nihilominus audes ſub his cortinis ſtantem Deum, & diuinas aures illas, flagitioſiſſimæ tuæ linguæ plectro, petulantiſſimis iniurijs, & quodam Tartareo genere blaſphemandi nefariè verberare? Quid dico verberare? Iudaica immanitate flagellare, iterumque cruci ſuffigere ipſummet, & quod in occultis ſuis nocturniſque latibulis vel ipſi Orco deuoti homines, ſagi, magi, venefici vix audent, neque ſine horrore audent, id tu in luce, in oculis, in conſpectu omnium, & adeò etiam ipſius Dei patras? dum ſacroſancta eius Sacramenta publicè, ac vociferatione immani, inſtar vlulantis lupi, aut rugientis leænæ, per plateas, audien-

Alfonſina per Antonium Panormit. Auctore Aenea Syluio Piccolomin.

H

diente & inſpectante, non ſolùm toto Mundo, ſed etiam ipſo ſacramentorum auctore Deo, diriſſimis cõtumelijs, per iocum, & ludibrium execrãdus ſcurra audes lacerare? Scis Deũ omnia replere ſua præſentia, & nondum dubitas omnia replere tua blaſphemia? Nam eò impietatis proceditur, vt noua hæreſi, per hypocauſtorum, per cubiculorum Sacramenta iuretur; immo per tot, quot Mundũ ipſum poſſint adimplere. Si non vis eſſe filius, ſi coram tam bono parente non erubeſcis tam grauiter delinquere; cur ſaltem iudicem non vereris, omnia facinoroſa tua dicta coram audientem & facta arbitrantem? Quis vnquam tantæ amentiæ eſſet, vt coram ipſo rege, aut iudice ſuo, inter armatas cohortes, pro tribunali ſedente, & trangreſſoribus mortis ſupplicium iracundiſſimis vocibus intentante, enim verò mox etiam, quidquid vult, vnico imperio, vnico nutu inferre valente, legem transgredi; immo regem ipſum, aut iudicem acerbiſſimis inſuper iniurijs laceſſere auderet? Et tu audes in hoc Mundo, in quo nihil eſt, vbi Deus non eſt, præſentiſſimum Numen, armatiſſima manu, & omnipotenti

tenti

tenti vindicta tibi vbique imminens, tam temerariè, tam impiè, tam nulla mente violare? Non opus est accusatoribus, ipse te audit, quem blasphemas: & ne minùs te audiat, sæpe, ceteris quiescentibus, & à tumultu cessantibus, silente nocte (quod tempus lupi & lupæ amant) nocturnus grassator prodis, & elatissimo clamore atque vlulatu, p plateas, execrationes vndique disseminans, instar bestiæ, immo instar dæmonis, vociferaris. Nonne & tu vicissim eũ audis, longè quàm mereris, mitiùs clamantem? *Recedè longiùs, ne te rex, ne iudex ne Deus audiat sibi malè loquentem?*

Sed quo tandem recedes? Vbique est. VIII.
Si oculos eius vereris, nusquam tibi licet peccare. Rectè enim Deum alloquens ait magnum illud Ecclesiæ lumen: *Eant & fugiant à te inquieti & iniqui, & tu vides eos, & distinguis vmbras, & ecce pulchra sunt cum eis omnia, & ipsi turpes sunt. Et quid nocuerunt tibi? aut in quo imperium tuum dehonestauerunt, à cælis vsque in nouissima iustum & integrum? Quò enim fugerunt, cùm fugerent à facie tua? aut vbi tu non inuenis eos? sed fugerunt, vt non viderent te videntem se, atque excæcati in te offenderent, quia non dese-* S. Aug. lib. 5. Conf. c. 2.

ris aliquid eorum, quæ fecisti. Jn te offenderent iniusti, & iustè vexarentur, subtrahentes se lenitati tuæ, & offendentes in rectitudinem tuam, & cadentes in asperitatem tuam. Videlicet nesciunt, quòd vbique sis, quem nullus circumscribit locus, & solus es præsens, etiam his, qui longè fiunt à te. Conuertantur ergo & quærant te, quia non sicut ipsi deseruerunt te Creatorem suum, ita & tu deseruisti creaturam tuam. Hæc cogitatio multos in viam reuocauit. Sic impudentem feminam, cum in medio tamen foro peccare nollet, ne ab hominibus conspiceretur, S. Ephræm docuit salubriùs, coram Deo omnes cogitationes intuente, omnes affectus peruidente, omnium corda & renes perscrutante, erubescere. Sic alius ab impudica pellice in abstrusissimum locum abductus, cum interrogasset, An ibi à nemine conspicerentur? ostendissetque Deum etiam ibi vigilantes oculos habere, & scelerum etiã occultorum testẽ esse, illam pudicam fecit ex impudica, quæ ex pudico facere voluerat impudicum. *Nam,* vt rectè S. Ephræm dixit, *continua Dei recordatione, turpes animæ passiones recedunt; instar maleficorum, prætore accedente, vnde & mundum Sancti Spiritus habi-*

S. Ephr. lib. de Virtute cap. 10.

habitaculum efficitur. Vbi verò memoria Dei abest, ibi tenebræ cum fætore dominantur, omnisq́ res improba exercetur. Ah quid in tenebris exerces, miser? Quod coram me non auderes, coram Deo facis? Ah quid facis? Deus iuxta te est: quia vbique est. Non in tua, sed in Dei domo peccas, tanto grauiùs puniendus, quia & in alieno, & ibi peccas, vbi Princeps tuus habitat, non vt à te violetur, sed honoretur.

§. III. Cum Deus in toto Mundo existat, cur tamen potissimùm dicatur in cælo habitare?

Ægyptiorum reges in toto quidem *Labyrintho* olim habitare dicebantur: præcipuè tamen in certis *Labyrinthi* sedibus & ædibus, hoc est, in præcipuis pulcherrimisque & erant, & inueniebantur. Sic in Mundo pulcherrima Mundi pulcherrimus omnium rerum Creator possidet. Quanquam enim in hoc Vniuerso Deus vbique sit per immensitatem diffusus, atque ita à sanctis omnibus agnoscatur: peculiari tamen modo dicitur *in altis*, & verò *in cælis habitare*, quasi in præcipua regia huius *Labyrinthi*. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis*, ait Propheta. Et Dei no- IX. Psal. 122. 1. Isa. 66.

mine alius: *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum*; quaſi ipſe in cœlo velit ſe potiùs aſpici, quàm vbi pedes habet, calcatque, quod vult à nobis calcari.
Pſ.32.13. Et idcirco *de cælo reſpexit Dominus: vidit omnes filios hominum, de præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram*; in qua, tanquàm in *Labyrintho* aliquo, ſcit
Pſ.106.4. alios eſſe, *qui viam ciuitatis habitaculi non in-*
Pſal.25.8. *uenerunt:* alios autem, qui dixerunt: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habi-*
Pſ.106.7. *tationis gloriæ tuæ. Et deduxit eos in viam rectam: vt irent in ciuitatem habitationis. Nam*
2. Machab.3.39. *ipſe qui habet in cælis habitationem*, eò vult etiam alios pellicere & adducere. Atque vt illuc, tanquam in patriam, & ad Patrem ex hoc exilio ac *Labyrintho* quàm cupientiſſimè & frequentiſſimè aſpiremus, do-
Matth. 6. 10. cuit nos quotidie ſupplices dicere: *Pater noſter, qui es in cælis.* Cur enim qui carnis,
Iob.4.19. corporis, & palaciorum *habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum*, non ſitientiſſimè aſpirent ad ſtelliferas illas cœleſteſque parentis ſui arces, & in illis Deum potiùs quærant, quàm in terris, &
S. Ambr. Serm. 90. rebus terrenis? Sic B. Agnes, apud S. Ambroſ. ad præfectum Symphronium ait: *Diuini-*

uinitas non in lapidibus vanis habitat, ſed in cælis. Non in ære, aut aliquo metallo, ſed in regno ſuperno conſiſtit: vt proinde non in ædificijs marmoratis; neque in ære, aut pecunia; neque in alio metallo, aut ſplendore; ſed in cœlo, & regno ſuperno ſit quærenda. Atque hæc prima eſt cauſſa, ob quam diuinæ litteræ Deo vbique aliàs præſenti, cælum tamen potiſſimùm attribuunt. Volunt ſcilicet nos à terris, quibus plerumq; pernicioſo affectu agglutinati ſumus, auellere, & ad *terram viuentium* inuitare; vt *quæ ſurſum ſunt, ſapiamus*, & mori appetamus, *non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes quia peregrini & hoſpites ſumus ſuper terram*, atq; vt hoc pacto veram *patriam* inquiramus. Adeò enim filij libenter eſſe ſolent cum parentibus, vt vbicunque extra patriam ſint, bene ſibi eſſe non exiſtiment, niſi ad illos identidem anhelent: omnis illis dies, omnis hora longa eſt, quàm diu illi à parente ſunt longè, ſi quidem eiuſcemodi filij ſint, vt ſe gerant inſtar filiorum.

X. *Coloſſ.* 3.2. *Heb.* 11. 13.

Stare putes: adeò procedunt tempora tardè:
Et peragit lentis paßibus annus iter,

inquit quidam exul in inhoſpito Euxino

XI. *Ouid. lib.* 5. *de Triſt. eleg.* 10.

Ps.119.5. verſans. Et alius: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!* Nemo enim ibi libenter diu incolit, vbi exilium eſt ſuſtinendum. Luſcinia licet argenteæ caueæ ſit indita, licet optimis cibis ineſcata, tamen in ſiluas ſuas nititur reuolare libertatemq́; & aëris & camporum adipiſci. Cur non & Paulus aliquis, velut ex corporis carcere, clamaret, *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto meo*? Cum non ratò vel ſerui ipſi libenter ibi degant, vbi dòmini habitant. Quoniam ergo, quàm diu hîc moramur, *peregrinamur à Domino*, meritò illuc deſideria noſtra mittimus, vbi Dominum noſtrum habitare non ignoramus.

Philip.1.23.

2.Cor.5.6.

Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa barbarus vrbe fugit;

ſi illius ſit patria; cur non à Sarmatis, & à regione barbarorum viciſſim aliquis Romam, immo ad cœleſtem Hieroſolymam vellet optaretque profugere, ſi illa eum genuiſſet? Hinc ſanctæ illæ querelæ: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hinc illa ignita vota: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, De⁹.* In quas voces Propheta prorupit, quia, vt ſcribit Gregorius

Rom. 7.24.

Pſal.41.2.

S.Gregor. 23.Moral. c.13. vel 21

gorius Papa, *æternam patriam contemplatus, & hæc mala pensabat, in quibus erat, atque illa bona considerabat, in quibus adhuc non erat.*

Quæ altera esse potest caussa, ob quam diuinæ paginæ Deo vbique habitanti, cœlum tamen potissimè ascribant. Nimirum vt Princeps aliquis locum habitationi suæ comprimis eligit amænissimum, & omnium rerum affluentia instructissimum; ita decet Deum ibi maximè à nobis quæri, vbi & maior est bonorum copia, & exquisitior mundi cernitur elegantia. Est enim & hæc inter hominem, hoc est, paruum, & magnum Mundum similitudo; quòd, sicut anima tota quidem est in toto corpore, præcipuam tamen dicitur in capite sedem habere; quia & illa corporis humani pars est dignissima, & in ea nobilissimæ hominis actiones exercentur: ita licet etiam Deus sit vbique totus in hoc Vniuerso, maximè tamen in summis illis elegantissimisque arcibus sit admirandus. Qui *in sole posuit tabernaculum suum,* ait vates: quia, vt in mundo cœlum terris etiam dignitate eminet, ita inter cœlestia corpora sol maximè maiestatem Dei declarat; qui manè aurora, meridie flamma, vespere purpura, XII. Psal. 18. 5.

velut lucidissimus regius sponsus, vestitur & decoratur. Itaque quamuis vbique sit Deus, in cœlis tamen maximè habitare dicitur, quia ibi eius gloria nitidissimè elu-
XIII. cescit. Tertia caussa est, quòd cœlum rebus ceteris omnibus sit altius: facit autem ad auctoritatem ipsa ædificiorum altitudo. Vnde & illi, qui ceteros nobilitate antecellunt, amant in altis arcibus habita-
Ps.112.5. re. *Quis* ergo *sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat?* Alta erat arx Atheniensium in qua Minerua colebatur: altum videbatur templum Iouis Capitolini Romæ; alta ædes Dianæ Ephesijs cultæ: alta fana illa falsorum Deorum, ob hoc ipsum *Excelsa*
3. Reg. 12. 31. 4. Reg. 12.3. solita nominari: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis*, immo *altissimis habitat?*
Psal. 2.4. immo *qui habitat in cœlis, & irridebit eos* mortales, qui sibi de lapideis suis arcibus
Matth. 7. 26. placent & plaudunt, quas aliquando intelligent se *super arenam ædificauisse.* Deniq;
XIV. sacrum volumen in suis loquendi iudicandique modis, vbicunq; potest, hominum sese moribus accommodat. Quia igitur,
Aristot. lib.1. de cœl.c.3. teste Aristotele, omnium gentium quasi à natura insita fuit opinio, *Deum in cœlo habi-*
Hesiod. in operibus. *tare*; adeò vt ab Hesiodo alijsque poëtis Græ-

Græcis, ὅς ὑπέρτατα δώματα ναίει, *ſupremi habitator Olympi*, dicatur; rectiſſimè eandem Spiritus Sanctus loquendi formulam ſeruauit, quamuis non eodem ſenſu. Saturnus, Mars, Iuppiter, ita in cœlo habitare crediti ſunt, vt alibi non eſſe crederentur: noſter Deus ita in cœlo adeſt, vt nec in terra deſit; ita ibi eſt, vt ſimul ſit vbique: qui tamen cum à corporeis oculis non poſſit, niſi per opera effectuſque ſuos videri; in eo loco potiſſimùm eſſe dicitur, vbi opera eius maximè exſplendeſcunt. Atque in hunc modum quiuis iuſtus ait: *Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo*, *Pſ. 88. 37.* ita enim clarè Deus in operibus ſuis, & cumprimis in cœlo, reſidet, ac ſi *thronum* ſuum in ipſo *Sole* collocauiſſet. Hic Catholicus ſenſus eſt. Manichæi, Seleuciani, Hermiani, ac Paſſioniſtæ hæretici, & (vt quidam volunt) etiam Origenes, putauerunt, Chriſtum, cum in cœlum aſcenderet, corpus ſuum, tanquam vaginam (vt Tertullianus eos ridet) in globo ſolis reliquiſſe. Quin & Manichæi Chriſtum ſolem eſſe ipſum crediderunt, parum ab Ethnicis differentes, qui ex ſole Apollinem fecerunt. Ex quorum tamen errore illud

Ita S. Aug. 2. cont. Fau. cap. 6. de Manich. & tract. 34. in Io. Et de Seleucianis. De Hæreſibus c. 59. Vbi etiam de Hermianis. At de Paſſioniſtis Phila-

ster lib. de Hæresibus De Origene vide Sixt. Senensem Biblio. an. 160. Tertull. de Carne Christi cap. vlt. illud licet intelligere, cœlum non indignam esse Deo sedem, cuius tam eximia pulchritudo nonnullis persuasit, vel partem aliquam illius esse Deum. Quamuis ipsum etiam cœlum sæpe in diuinis litteris non palacium, sed *tabernaculum Dei* vocatur, vt intelligamus etiam ipsum, licet splendididissimum & augustissimum, adhuc tamen longè minus esse maiestate Dei, vtpote cuius non tam sit palacium, quàm *Apocal. 21.3.* *tabernaculum* ac *tentorium*, cum in se ipso, suaque immensitate & essentia infinitè diffusa gloriosissimè, & sine terminis habitet, modo longè augustiore.

§. IV. *Etiam amicos Dei in cœlo habitationes mansionesq́ue habere.*

XV. Demonstratum est, sicut in *Labyrintho*, ita in Mundo immo & in cœlo habitationem reperiri; in illo quidem regum, in isto autem Dei. Sed & quemadmodum in *Labyrintho* non reges duntaxat suam aulam construxerunt, verùm ipsi quoque satrapæ & præfecti, intimique regum amici sua ibi palatia habuêre, ita euenit in hoc Mundo; in quo si non est indignum Numen ipsum habitare, cur non & homine sit dignus?

gnus? Quanquam, vt Deus in toto quidem eſt Mundo, peculiari tamen modo, præcipueq́ue in cœlo degere memoratur, ita & homines partim ſunt terrarum incolæ, natitantq́ue in valle lachrymarum, partim in cœlum admiſſi gaudijs abundant. Itaque in terra, vt in exilio, aut in via ac valle verſantur; in cœlo, tanquam in patria & ſede paterna, dulciſſimè conquieſcunt. Condidit enim diuinus opifex duplicem in Mundo locum, vnum qui via eſſet, alterum, qui viam terminaret; ſeu tanquam præmium, ſeu tanquam ſupplicium, prout cuiuſq́ue facinora exegiſſent. Vtq́ue viam non par eſt eſſe perpetuam, ita voluit vitam in his terris certo annorum curriculo circumſcribi; alteram autem in cœlo vitam ſtatuit eſſe ſempiternam. Quare, vt totus homini mundus corporeus ſuprema infimaq́ue ſui parte inſeruiret, decreuit bonus Conditor infimam eius partem, quaſi ſtadium quoddam facere aut palæſtram, in qua homines exercerentur: ſupremam autem, veluti ſedem Agonothetæ conſtituit, in qua, qui viciſſent, coronarentur. Siquidem *non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.*

1. Cor. 9. 24.

2. Tim. 2. 5.

Sed

XVI. Sed de ſuprema parte, de qua exorſi ſumus, priùs loquamur. In cœlo igitur homines quoque habitaturos ipſa veritas affirmauit, cum diceret: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* *Manſiones* propriè admodum appoſiteque vocat, nam ita indicat, ibi perpetuam habitationem futuram, nulla morte, nulla migratione, nullo caſu fortuito interrumpendam. Et paulò poſt: *Vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Itaque ſicut Ægypti reges non ipſi ſoli in præcipuis *Labyrinthi* regijs habitauerunt, ſed etiam alias præfecturas, ſeu nomos, domoſque pro intimis ſibique familiariſſimis conſtituerunt; ita Deus non ipſe ſolùm, ſed etiam ſanctos ſecum vult in cælo, hoc eſt, potiſſima mundi parte commorari; vt ibi in omnem æternitatem laudes eius celebrent. Atque idcirco Ezechias ait, *Domine ſaluum me fac: & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.* Et de cunctis electis Moyſes: *Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ: firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.* Quid enim firmius hoc

Io.14.2. *Ibid.* *Iſa.38.* *Exod.15.*

habi-

habitaculo, quod omnipotens artifex in monte tam excelſo collocauit, vt in illo, quos tutiſſimos volebat, collocaret?

XVII. Quo & eos quotidie inuitat, & vocat. Hinc ab Apoſtolo *vocationis cæleſtis participes* appellantur. Inter quos cum ſe quoque fore ſperaret, *Liberauit me*, inquit, *Dominus ab omni opere malo: & ſaluum faciet in regnum ſuum cæleſte:* quaſi de ſalo in portum, de fluctibus in terram firmam traductum, tranſportatumque. In qua S. Ioannes audiuit, *quaſi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia: Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt.* Et iterum *dicentiū Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei.* In cœlo igitur iubilus, in cœlo gaudia, in cœlo regnum, in cœlo ſalus, in cœlo altitudo, ſecuritas, æternitas, in cœlo Pater, in cœlo Dominus, in cœlo Deus: quas ob cauſſas iuſtiſſimè ſupremus ille iudex ac gubernator, vult inibi habitare etiam fideles ſuos ſeruos, & filios; qui iubilum, qui gaudia, qui regnum, qui ſalutem, qui ſecuriſſimam æternitatem, qui eſſe cum Patre, qui cum Domino, cum Deo ſuo ſine fine lætari, cum adhuc

Hebr. 3. 1.
2. *Timoth.* 4. 18.
Apoc. 19. 1.

huc existerent in terris, meruerunt. Ex qua *Labyrinthi* istius nobilissima parte, eiusque eximijs laudibus tanto luculentiùs apparet, & meritò ibi Deum suam suorumque amicorum sedem posuisse; & dementissimos esse, qui malint in tenebris, & hypogæis inter tot flexus, & pericula in Mundi istius *Labyrintho* per domos luteas oberrare; quàm contendere vt extra aleã & omnem teli iactum in securissimam iucundissimamque illam cœlestis sui Patris domum introducantur. Quæ domus vel Romanis Gentilibus, ipsisque etiam Poëtis testibus, est heroibus deputata, & ob eam caussam, vt ipsi Poëticis coniecturis fabulisque veritatem adumbrarunt, quà lacteo circulo ambitur, illustriùs enitescit. Potestque haud absurdè ille eximij splendoris per cœlum effusus fluuius, quem galaxiam vocant, dici similitudo illius fluuij, de quo Ioannes ait: *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.* Nempe fluuius ille est torrens voluptatis, qui beatos in vtraque ripa auidissimè bibentes inundat. De quo longè rectiùs, quàm de lactea illa via, seu circulo Manilius interrogasset.

Cicer. in somnio Scipionis.

Apocal. 22. 1.

Manilius lib. 1.

An

An fortes animæ, dignataq́ue nomina cœlo,
Corporibus resoluta suis, terraq́ue remissa,
Huc migrant ex orbe, suumq́ue habitantia cœlum,
Æthereos viuunt annos, mundoq́ue fruuntur?
Atque hîc Æacidas, hîc & veneramur Atridas?

§. V. *Murium fabella ostenditur, quàm sint insipientes, qui habitationi cœlesti terras anteponunt.*

Prorsus Æacidas & Atridas, & fortes XVIII. tantùm generosásque illuc animas emergere cernimus; solent enim magni spiritus magna cogitare. Effeminati autem, & pueriles animi crepundijs se se sinunt satiari; neque ad veras illas æternasque in cœlo voluptates mentem attollunt. Qua de caussa muribus persimiles sunt. Bella, non longa est fabula. In spem obsonij aliquando prodierunt mures quatuor, parentes duo cum gemina prole. Omnes famelici, sed non omnes æquè in rebus reperiendis periti. Est enim iunior ætas semper magis ad audendum proiecta, quàm ad cauendum prouida. Itaque hi quatuor seu mures, seu fures, quasi cuneo facto, cum obstructas obturatasque omnes ad frumenti

cumeram vias rimaſq; animaduertiſſent, repſerunt in penarium, vt gulam periculoſiùs propitiarent. Ibi furuæ beſtiolæ, cũ & inedia ventrem, & Furina aurem vellerет, prædaque clanculo illiceret, cuius veſtigia ex odore citiùs, quàm colore agnouerant, porrectis auideque gliſcentibus auriculis, muto & ſilenti pede, leni leuique velocitate, perquàm ſolicitè per omnes angulos curſitarunt, ſicubi aliquas pridianæ cœnæ reliquias venando apiſcerentur. Verùm parentes, quibus vtique exercitatiores ad inueniendum oculi, præpinguem ſuilli aqualiculi aruinam supernè ad parietem è clauo ligneo ſuſpenſam priùs aduertêre. Igitur, qui eſt paternæ maternæque in liberos flagrantiæ affectus, illico ſobolem ſuam, monſtratis in ſublimi loco Iouialibus epulis, ad Saturnalia, immo Bacchanalia inhortari, ad hunc ferè modum, cœperunt. Videtiſné, filioli noſtri, guſtulum illud pinguiculum, molliculũ, dulciculum? gnauam hîc famelico ventri aduocationem facere licebit; & ſuauiùs viuemus, quàm ſi potum Creta, cibum Numidia, vel vtrumque Regina noſtra miſiſſet. Bonis animis eſte, veſtræ ſunt iſtæ lautitiæ,

titiæ, veſtrum epulum, veſtrum cruſtulum, cum nullo mulſo, cum nulla ambroſia comparandum. Videtin'? exilite, iam cœnaſtis. Ad hæc, Videmus quidem, mea mater, & tu mi genitor, quæ vos prædicatis, inquiunt muſculi teneriores, ſed num & habemus? Nuncquid enim natura nobis alas dedit, quibus illuc euolemus? aut oculis aſpicere, eſt ſatiare ventrem? Aliud eſt videndo, aliud guſtando frui. An putatis fortaſſe, dentes æquè, atque oculos, quæ diſtant, attingere poſſe? Aut forſitan licium putredine vitiatum rumpetur, & præda pendendo laſſata de carnario decidet? Verbis nos videmini velle paſcere, non cibis. Hæc atque alia, quæ immaturior ætas petulantibus ſuggeſſit, muſculi vix heri nati, & necdum toto corpore piloſi, multoque minùs barbati ad parentes ſuos effutiuerunt. At genitor, Nihil, ait, iſtorum prorſus, quæ temerè diuinaſtis, continget. Sed vos; imperituli pergitis iſtud priùs dijudicare, quàm ſcitis, qua ratione debeat perfici? Quid enim creditis? victoriam citra puluerem venire? & ſperatis nihil agentibus vobis, immo dormientibus hæc vobis confecturos deos? victimam-

XIX.

mamque, deserta statione, sponte sua in appetentium palatum descensuram? aut tanta epularum precia sine vestra opera in abdomen iri deductum? Profectò etiam infra ætatem vestram sapitis. Nostrum enim est sequi spolia, non expectare, dum in ora hiantibus inuolent. Expositæ sunt suilli petasonis dapes, non depositæ; vt victum, ceterorum mortalium lege, idest, labore, etiam nos paremus. Aut igitur famem humi sustinere par est, aut ad pernæ delicias in altum ascendere. His dictis, musculi seniores cœperunt sursum repere, vt filios suos exemplo docerent, quod verbo nequijssent.
XX Erat in medio cellæ penariæ captendula in omnem dolum perniciemque murium instructa. Nam in sirpiculo ferreo iacebat laridum, ad inuitandos odore fures, semiassatum. Et accessus epulaturis, per multiforatilem structuræ ambitum, patebat varius, nusquam potestas erat regrediendi. Labyrinthum dixisses, aut simulachrum Labyrinthi. Fuerant enim ostiolorum quidam sic accommodati postes, vt in initu parcerent, in reditu sæuirent. Virgæ siquidem ferreæ intrare conantibus leuissimo tactu cedebant, ac,
veluti

veluti ſponte diductæ, planum facilemque inſilientibus aditum dabant: verùm redire ex infami hoſpitio cum, farto iam ventre, ſaturi conuiuæ cuperent, ſerò nimis intellexerunt, ſe in pedicas, & carcerem, & culinam mortis incidiſſe. Quippe eædem illæ paulo priùs tam clementes & facilè cedentes virgæ ferreæ, quaſi repentè obriguiſſent, ita acutas omnino, atque in pyramidalem figuram pertinaciſſimè coëuntes per orbem cuſpides, tanquam haſtatam aliquam aciem obuertebant; mucronibuſque infeſtis, aut terrebant minaciter reſpicientes, aut figebant crudeliter recurrentes. Sub alijs pſeudothyris mors ipſa excubabat. Etenim ſuſpenſæ ad ipſas fores illecebræ fraudem continebant. Ea ratio libramenti erat, vt, vbi primùm nouus conuiua in fallacioſum muſcipulæ ſcandalum morſu offenderet, impetuque retinaculum ferri deſuper molientis ſolueret, comprehenderetur in ipſo limine, eliſuſque ferro, voculam ſimul atque animam ederet. Hanc igitur blandam vitæ XXI.
ruinam conſpicati minores muſculi, ad parentes iam dudum in conſcendendo ſeuerè laborantes: Heus vos, quid in alto,

inquiunt, cum tam cruciabili molestia quæritis? quod benignior fortuna humi, ante ora adeò nostra obiecit? Luculenta sanè simplicitas est, absentia sectari & in tam alto posita, vt præsentia atque ante oculos iacentia negligatis. Remeate, reuolate, & quidquid hoc est polluĉti, nobiscum læti alacresque degulate: quæ supra vos, nihil ad vos credite. Hîc demum viuere, hîc quotidianas, hîc diurnas nocturnasque commessationes & choreas licet agitare. Quid multa? ea imprudentes musculi dixerunt, quæ impudentes adolescentuli dicerent ad eos, quos de templo, & de virtute in ganeam, & ad illecebrosam mulierem vellent deuocare. At musculi parentes, qui longa experientia didicerant periculum fugere, haud vtique ignari malorum, quæ sub gulæ insidijs essent, & cum larido proponerentur, alia omnia potiùs facere cogitarunt, quàm vt se tam præsenti committerent inescationi; aut vt in illam domum intrarent, è qua neminem vnquam viderant saluum exijsse. Et, ne nostrum, filioli, inquiunt, esse consilium deputate parui precij, qui ob rem nullam, animum vobis sinatis occu-

pari

pari ab eo, quod tam modicum eſt, vt ſatiare non poſſit; tam inſidum, vt etiam necare velit. Sed dum adhuc extra foueam pes eſt, hoc potiùs agite, ne vos in breue hoc tempus conijciatis gaudio hoc falſo frui, & in quas res cunque incideritis, albà, quod aiunt, linea, ſine cura diſcriminis ſolam ſpeciem ſectari: nobiſcum ad hæc aſcendite fortunatiora, voluptatiſque adeò pleniora, vbi eſſe cum ſatietate licet, & delectari cũ libertate. Muſculi vel quòd ea dicta parum ſerij habere exiſtimarent, vel quod cupiditate præcipites, ætateque haud ſatis prudentes animus in prauum ferret, neglectis maiorum monitis, inſidiatricem ædiculam audaciter compilare aggreſſi, ſic perierunt. Clementiore oſtiolo per vimina intromiſſus vnus, cum de obſonio aliquid lambendo primùm diſſuauiatus prægustaſſet, etiam alteri, vt fit, laudare & locum, & ganeam cœpit. Non diu neceſſe eſt laudare, in quæ ſponte inhiatur; & tamen miſerimus ille ſuæ adhuc captiuitatis ignarus conuiua, cum rodendo prædam profundiùs ſauciaſſet, fratrem iam diu curſitando quæritantem, quà aditus pateret, & præ cæco impetu gaudioque XXII.

 etiam

etiam obuia limina non videntem, exemplo ita vehementer inflammauit, vt ille nullo delectu, maloque fato, ad eam perueniret ianuam, in cuius limen cibus hamo malignè copulatus propendebat. Eum ergo hamum simul ac libare est orsus, vinculum emouit; quo remisso, celeri ictu decidit in caput vorantis laxata ferri austeritas: quæ, ne vitam cum gemitu funderet gulosus prædo, vno casu animam vocemque in vestibulo hærentis oppressit. Sic
XXIII. præda antè, quàm prædo fuit. Hoc fratris interitu conspecto deplorandus ille subparasitaster, qui Labyrintho suo inclusus tenebatur, fratremq; imprudens morti prodiderat, vertiginem sentire, & de suo quoque periculo suspicari cœpit. Exitum ergo, per omnia emissaria quæsiuit, nusquam reperit: iamque captum, temeritatis seriò, sed serò nimis pœnituit. Quippe nec ventrem satiauerat, & felem carnificem in momenta singula tremens expectabat. Interea parentes, curata probè cuticula, totam è sublimiore loco calamitatis scenam intuiti, cum à captiua degeneri prole auxilium rogarentur, ita respõdisse dicuntur: Cur auxilium nostrum placet,

cet, ſi diſplicuit conſilium? Veſtra pertinacia perijſtis. Habete nunc ergo quod vobis tantopere placuit, relinquite quod diſplicuit: quia ſapere ante pœnam oportet. Serò fugitur ſupplicium poſt delictum. Idem reſpondebunt omnes cæli- **XXIV.** tes, quotquot ad Deum, ad cœlum, ad veras, ad magnas, ad ſecuras, ad æternas illas voluptates tanto labore aſcenderunt, omnibus illis, qui vel à ſocijs, vel à delicijs ſeducti, deſertis ſanctorum veſtigijs, Bacchanalia ſemper viuere, Numenque, non in cœlo, ſed in luto, in ſordibus, in plateis, in popinis, in quotidianis poculis, in ſumma, in terris quærere volunt, & in illis lætitijs, quarum illecebra capi, eſt verè in muſcipulam proficiſci. *Quoniam creaturæ* *Sap.14.11.* *Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Fugite ergo peritura perdituraque vitæ fallacis bona; execramini ocium ac deſidiam ſementem omnium vitiorum; deteſtamini ocioſos ludi, cibi, vini, turpiumque vigiliarum amatores: perhorreſcite cauponarum & Ambubaiarum peſtilentiſſima commercia, ad quæ animum appellere, eſt verè in ſcopulos in-

 ferre.

ferre. Quod quia planè ita se habet, iugulatio est, ô iuuenes, voluptas vestra, non delectatio. Et si fortasse tunc primum sapere decreuistis, cum Phryges, aut Cumani solent, scitote, miserum esse opus, demum fodere puteum, vbi sitis fauces tenet. Serò mures capti caseum fastidiunt. Serò homines iam terris quodammodo inenodabili vinculo, immo inferis ipsis adamante astricti cœlestia quærunt. Quærenda sunt, cum inueniri possunt; ne, quod

Math. 25. 10. *fatuis Virginibus* euenit, *ianua* iam *clausa* primùm ingredi concupiscant. Multi enim, quib. iam aditus ad cœlum patebat, quosque Christus, tanquam ministros suos, in sua secum æterna aula habere cupiebat,

Ps. 133. 2. quique adeò etiam iam *in atriis domus Dei steterant*, pedem socorditer retraxerunt. Quare meruerunt, vt & ipsis postea ostiũ clauderetur. Iure enim qui vult semper apud Bacchum prandere, tandem etiam cogitur, è Iouis triclinio exclusus, cœnare apud Proserpinam. Nec dignus est cœlo,

XXV. qui terram cœlo anteponit. Quæ cogitatio Bononiæ in primis ferè Dominicani Ordinis initijs virum magnum clarumque

Hieron. Plat. lib. 3. doctrina, mirè perculit. *Cum enim Reginaldus,*

naldus, vnus ex præcipuis illius familiæ, magno hominum concursu & approbatione, verbum Dei prædicaret, Monetus (sic enim is appellabatur) de industria illius congressum & sermonem fugere consueuerat, multum sibi ab eo metuens, tamen in Stephani martyris natali, ad eius concionem comitum importunitate pertractus, primis statim verbis captus est, cum illam vocem exponeret; Ecce video cælos apertos. Ita enim disserebat, nunc quidem cæli portas ad beatitudinem patere, ita vt quiuis ingredi posset: qui autem negligentes essent, & qui Deo cor suum clauderent, iis vicissim cælos claudi, vt deinde intrare non possint. Nec pluribus opus fuit. statim enim corde immutato, qui ad eam horam tam alienus fuerat à religione, religionis voluntatem concepit: finita concione Reginaldum adijt, animum suum exposuit, eumq́; voti etiam vinculo confirmauit. Non cupio tam multum. Ah vtinam aliqui hoc tam periculoso ætatis tempore, illud solùm vouerent, se illuc, vbi tanta est ebrietatis, turpitudinis, & rixarum occasio, non adituros; profectò cœlestes voluptates, animæq́ue sanctioris delicias, magno fenore, copiosoq́ue prouentu adirent. Infinitis enim modis maiores sunt voluptates, quæ expe-

de bono. Stat. Relig. c. 38.


expectant eos in cœlo, qui se in terris à voluptate vinci non patiuntur. *Quid* ergo *istud negligentiæ*, ait S. Bernardus, *quid pigritiæ, immo quid vecordiæ est, vt non crebris suspiriis & feruentissima affectione abrumpere hinc, & in illa tam felicia agmina iaculari animos studeamus?* Quod agere, ne nos pigeat, aut vt incensiùs agamus, progrediar nunc ad ipsam illam cœlestium felicitatem rudi Minerua describendam.

S. Bern. serm. 5. de omn. SS.

Caput VI.

LONGE IVCVNDIVS, IN COELO, DEI, QVAM, IN LABYRINTHO, ALIISQVE PAlacijs & delicijs, Regum amicos habitare.

§. I. *Cur Mundus iste in beatas cœli sedes, terrarumq; miserias sit diuisus?*

I. 

MNES natura ita comparati sumus, vt lachrymas, & miseriam, quæ est caussa lachrymarum, fugiamus; atque ibi, vbi est alijs bene ac beatè, & ipsi esse cupiamus. Nimirum ad felicitatem nascimur. Hæc est animæ nostræ & pabulum, & centrum. Huc illa toto impetu fertur, & si non peruersè fertur, ad veram felicitatem fertur;

fertur. Ad hunc scopum vt perueniat, per tela solet, & per ignes penetrare; tantoque illi dulcior est portus, quantò acerbiùs fuit nauigare. Nemo terræ stabilitatem æstimatiùs amat, quàm qui nauem, intuetur inter pericula & Syrtes, fluctuantem & cũ Aquilonibus decertantem. Vnde vetus Poëta:

Suaue mari magno turbantibus æquora ventis, T. Lucret. Carus lib. 2. de rer. nat.
E terra magnum alterius spectare laborem:
Non quia vexari quenquam est iucunda voluptas,
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.
Suaue etiam belli certamina magna tueri,
Per campos instructa, tua sine parte pericli.

Ac viciſſim magnum in labore solatium est cogitatio futuræ quietis. Quare apud alium Poëtam socios non nemo ita adhortatur.

O passi grauiora; dabit Deus his quoque finem! Virgil. 1. AEneid.


Et ipse Apostolus: *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. 18. Sic multi in remos fortiùs incubuerunt, cum de auro Ophir, aut aurea Chersoneso, aut de vellere Phryxeo

xeo fortunatisúe insulis cogitarent. Scilicet in hoc vno contraria sibi contraria non sunt, quia se mutuò commendant. Morbi enim sanitatem, vincula libertatem, labores quietem; denique diem nox, & lucem ipsæ tenebræ reddunt gratiorem.

II. Hæc caussa est, ob quā antiqui illi Ægyptiorum reges sua suorumq́ue satraparum palatia ac *nomos*, inter medios *Labyrinthi* errores, ædificare voluerunt. Quando enim videbant ceteros mortales diutiùs periculosiusq́ue, per tot parietum gyros, & implicatas viarum retorsiones, circumerrare, tum illis iucundius erat securitatem possedisse. Et verò illi ipsi etiam, qui per tot ambitus fatigabantur, tantò auidiùs seu per cryptarum caliginem, seu per parietum ac murorum ambages, ad domum regiam aspirabant, quantò agnoscebant locum illum, itinere tot erroribus discri-
III. minibusq́; pleno, esse feliciorem. Prorsus aliquid simile etiam Mundi istius *Labyrinthus* habet. Alibi in eo labor, alibi quies est. Vna eius pars via, altera patria est: vna salsas, altera dulces aquas exhibet. Podio pariter, & arena pollet. Hic locus certamini, ille præmijs destinatur. In compen-

pendio dicam, terram miserijs periculisque, tanquam absynthio, repleuit Deus, ne illi affectus noster nimium agglutinaretur; cælum beatitudine voluit esse plenum, vt illud totis votis desideraremus: & identidem diceremus: *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias.* Ps.70.3. Qua de caussa Strabo Geographus, cum de diuina in creando mundo prouidentia dissereret, inter cetera bellè dixit: *Dijs cælum, hominibus verò terram incolendam dedit, quæ duo mundi extrema sunt.* Strabo de situ orb. lib.17. Extrema sanè, non tam loco, quàm etiam natura atque conditione. Vt enim terra, quæ medium est, à cælo, quod in hac sphæra extimum est, maximè situ distat; ita nihil ab huius securitate magis differt, quàm pericula illius. Qua de re regius Psaltes docet, dum securissimè habitantem in hunc modum alloquitur: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*; Ps.90.10. nedum tibi ipsi. Si enim altissima tutissima, ecce *altissimum*, & extra Ibid. omnem aleam, & teli iactum *posuisti refugium tuum*; non quò tu refugeres, sed ad quod homines refugerent; ac in quo securi, beati, dijsque ipsis similes fierent, si cò per-

eò peruenissent. At in terris multa mala, Ps. 31. 10. *multa flagella peccatoris*. Nam quantum peccator à Deo, tantùm à cœlo, à beatitate, Sap. 5. 6. à securitate recessit, atque etiam *à via veritatis* aberrauit: cumque iter rectum haberet, maluit declinare; vt ob amatum errorem, pluribus erroribus exponeretur. Ita non modò supplicium, sed ipsum etiam sæpe peccatum, peccati est pœna, vt flagella multiplicentur, agantque in ruinam, quæ in emendationem esse debuissent. Error igitur etiam vltimus, quo peccator à ianua æternæ felicitatis aberrat, pœna est erroris illius, quo per procurata sibi pericula, à via virtutis aberrauit: eoque securiùs superi in cœlo degunt, quò minùs mali illuc inertesque possunt pertingere, varijs viarum erroribus intricati. Atque iterum tantò cupidiùs hinc mortales eò debent aspirare, quantò ibi maiorem amœnitatem securitatemque esse cognoscunt.



§. II. Cœ-

§. II. *Cœlestis voluptatis quinam sint testes?*

Quanta ergo *amœnitas*, quanta *securitas* in cœlo? Moyses, vt populo sitim acueret, in terram promissionis exploratores misit. Quem nos cœli exploratorem constituemus? An S. Paulum, qui de se loquens ait: *Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim (siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum. Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Explorauit ergo Paulus Paradisi gaudia, & cœli munitionem, sed non enarrauit. Ioannes & explorauit, & enarrauit. *Et vidi cælum nouum*, ait, nouum ob gloriæ statum: sicut & *sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Habemus ergo oculatum testem, qui vidit, & qui propria manu descripsit, quæ vidit. IV. *Leuit.* 13. 4. *2. Corint.* 12.2. *Apoc.* 21.1.

Immo & ipsa illa ciuitas per contemplationem, ipsum cœlum empyreum, per gratiam, perque Dei liberalitatem cælitus descendit, vt nos in ciues cooptet, & alliciat, vt velimus cooptari. Ciuitas Ieru- V.

S. Aug. lib.20.Ciuit.c.17. ſalem, *de cælo dicitur deſcendere*, ait S. Auguſtinus: *quia cæleſtis gratia eſt, qua Deus eam fecit: & de cælo ab initio ſui deſcendit, Spiritu ſancto miſſo de cælo.* Et alibi. *In ſentēt. num.31.* *Ad cæleſtis Ieruſalem non aſcendunt conſortium, niſi qui toto corde profitentur, non proprij operis, ſed diuini eſſe muneris, quòd aſcendunt.* Itaque ſicut Sol corpore ſuo manet in cœlo, & radio ſuo deſcendit in terram, vt hinc vapores, ſtirpes, flores, fructus attollat: ita ſancta illa ciuitas, teſte Ioachimo Abbate, mittit ad nos diuinæ ſuæ lucis radios, vt nos viciſſim illuc deſideria affectuſq; noſtros mittamus, & qui corpore in terra hæremus, mente ad ſuperos aſcendamus, vt conuerſatio noſtra ſit in cœlis. Atque ne ignorantiam excuſationi noſtræ obtendamus, *Apoc.21. 3.* ait caſtiſſimus Chriſti præco: *Audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Vox magna, indicat magnum ineſſe in re proclamata pondus & momentum. Vocem magnam Deus edit, quia vult eam ab omnibus audiri, vt omnes ad ardens tam felicis regni deſiderium excitentur. Denique vox hæc de throno exit, hoc eſt, à Deo ipſo; quia quæ Apoſtoli, quæ

Pro-

Prophetæ, quæque alij viri sancti de cœlesti illa ciuitate scripserunt, Deus ipse dictauit.

§. III. *Cœlum nouum, instar sponsæ ornatum, lucidumq́;.*

Quænam igitur dictauit? *Apocalypsis dicit*, ait S. Prosper, *Hierusalem nouam vidi à Deo descendentem, aptatam & exornatam, vt sponsa marito. Dicit & Paulus: Quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. In hac ciuitate non erit nox, nec lumen lucernæ opus erit, non luctus, neq; mors, neque clamor, sed nec dolor vllus, quia priora abierũt: & huius patriæ gloriam impij non videbunt.* Plurimæ ergo maximæque sunt dotes, quibus stellata illa beatorum domus, Ægypti palatia, ac *Labyrinthum* omnemq́ue profanorum regum superbiam superauit. Nimis vetusta sunt, quæ de humana illa magnificentia memorantur: vix pars aliqua murorum, vix cadauera restant, & rudera ne in reliquijs quidem suis agnoscenda. Noua maximè delectant, recentia probantur. Quare noua illa erit in cœlo ciuitas, noua Ierusalem, ab antiqua illa iam pridem anagogicè significata. Nec noua erit VI. *S. Prosper lib. de gloria regnoq́; sanctor. cap. 3.* *Apoc. 21.* *Gal. 4.* VII.

erit tantùm, & quasi semper recens, sed etiam *sicut sponsa ornata.* Si enim puellarum ornatus cum templi ornatu confer-
Ps.143.12. tur, cum dicitur, *Filiæ eorum compositæ: circumornatæ vt similitudo templi:* cur non vicissim etiam templi istius cælestis ornatus, cum sponsæ ornatu, compararetur? Quid verò sponsis ornatius? quibus berylli in digitis, margaritæ in auriculis, gemmæ in collis, adamantes in tunicis, instar siderum
S. Prosper lib. cit. cap. 4. Matth 13. Luc. 20. refulgent? Prosperi verba sunt: *Dominus in Euangelio: Tunc, ait, iusti fulgebunt sicut Sol in conspectu patris sui: quoniam erunt æquales Angelis Domini, & hanc gloriam impij non videbunt:* quam in Christi transfiguratione Apostoli tres cum incredibili amoris incendio viderunt, & videre sine intermissione desiderarunt. Et mox subiungit i-
Ibid. c. 5. 1. Cor. 15. dem Prosper: *Paulus Apostolus dicit: stella à stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Quo modo alij pro consensione martyrij, alij pro integritate virginali, alij pro continentia viduali, alij pro pudicitia coniugali, diuersis honoribus sine inuidia fulgeant, impij non videbunt:* qui, vt illi, quorum in *Labyrintho* error sub terra, atque in tenebris est, in tenebras exteriores proijcientur: quia lux

lux illa non pertinet, nisi *ad filios lucis*; hoc *Io.12.36.* est, ad eos, qui, tanquam veri aquilæ pulli, rerum cælestium solem possunt intueri, atque ad illum sine intermissione aspirant. Audi aspirantem. *O supernæ ciuitatis mansio beatissima! O dies æternitatis clarissima! quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat, dies semper læta, semper secura, & nunquam statum mutans in contraria. O vtinam dies illa illuxisset, & cuncta hæc temporalia finem accepissent! Lucet quidem sanctis perpetua claritate splendida, sed non nisi à longè & per speculum peregrinantibus in terra.* *Thom. de Kemp. lib.3. de Imit. cap. 48.* Vbi adhuc crepusculum est auroræ: in cœlo dies erit plenissimus, clarissimus, splendidissimus, & lux tanquam solis meridiani. Vidit enim virgineus ille Apostolus sanctam illam ciuitatem *habentem claritatem Dei: & lumen eius simile lapidi precioso, tanquam lapidi iaspidis, sicut crystallum*, hoc est, *Apoc.21. 11.* simile lapidi *crystallizanti.* Quare ibi nunquam lucem aufert nox, sed dies vna & perpetua est: neque eget sole aut luna, quia claritas Dei illuminat illam, & lucerna eius est Agnus, à quo omnis in homines gloria deriuatur. Aptè igitur lux *crystallo* *Ibid.v.23.* exprimitur, non est enim lux, aut gloria illa

vmbratica, & quæ euanescat, sed stabilis est & solida, instar lucidissimi *crystalli*, atq; , vt nonnulli existimant, ad solis radios iucundissima colorum varietate resplendẽtis, &, more vitri triangularis, mille camporum, domorum, siluarum, atque ipsius iridis species oculo spectantium insatiabiliter exhibentis.

§. IV. Cœlum aureum gemmeumque, cum profanorum regum aureis gemmeisq; palatijs comparatum.

VIII. Quæ domus regia vnquam tam lucida, tam formosa? quis Anicianæ ædis splendor tam magnificus? Quid Cnei Manilij post Asiam deuictam ærata triclinia, abacique & monopodia? quid famosus Luculli Apollo, aureaue Neronis domus, aut florida Cleopatræ cœnatio? quid Hymettiæ trabes, quid moles Africanæ? quid peregrini marmoris columnæ quibus Lucius Crassus triumphauit? Atque, vt summa proferamus, inter summi splendoris miracula & memorabilia exempla, scribit Chares Mitylenæus, & post illum Athenæus, Darij regis vltimi tempore *in eas delicias Persarum reges prolapsos esse, vt ad caput cubi-*

Chares lib. 5. Athen. lib. 12. Et ex vtroque

cubilis regij conclaue vnum esset pariete vno intermedio obstructum, ea magnitudine, quæ quinque lectos caperet, in quo semper condita essent talenta auri quinquies mille: hocq́ue conclaue ceruical regium appellabatur. E regione verò huius aliud esset conclaue triclinum, ad parietem eum excitatum, ad quem cubilis pedes vergebant, in quo argenti talentorum tria millia condebantur. Nam ipsum etiam tantum trium lectorum capax erat, & scamnum suppedaneum Regis esse dicebatur. Præterea in ipso cubiculo regio vitis erat aurea, gemmis insuper inclusis locupletata; eaq́ue veluti pergula regio cubili obtendebatur. Hanc vitem Amyntas prodidit racemos etiam pensiles habuisse ex lapillis æstimatissimis compositos. Nec procul ab ea craterem aureum collocari solitum Theodori Samij opificio nobilem. Hæ & aliæ deliciæ Darium, licet prælio victum eò pertraxerunt, vt qui tanti caput suum recumbere, & pedes subniti voluerat, tanti etiam manibus pedibusq́ue vinciretur, & ad extremum, cum proditoribus obsequi nollet, ab ijsdem iaculis configeretur. Phil. Camer. part. 1. Horar. Successiu. cap. 20.

Ita etiam in preciosissima cubilia regum captiuitas & mors peruadit. Quis ergo cœlestium thalamos non anteferret? qui cum seruitutem, cum luctum, cum mor- IX.

tem æternùm à ſe eliminent, longè adhuc ſunt ſplendidiores? Darius inter tot auri argentíque talenta dormiebat; nempe Somnium tantùm erant diuitiæ illius, vt inter illos numeraretur, de quibus dicitur:
Pſ. 75. 6. *Dormierunt viri diuitiarum ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis.* At beati in cælo non dormiunt, neque eſt ſomnus, quod habent. Quid autem non habent? Quæ non ibi talenta? qui non theſauri? qui non thalami? qui non botri? de quibus
Cant. 1. 3. ſponſa ait, *Introduxit me rex in cellaria ſua:* vbi ſcilicet & vinum, & *vitis* ipſe eſt; & pulcherrimarum gemmarum inſtar, Apoſtoli martyreſque illius: Ait enim: *Ego*
Io. 15. 1. Virgil. lib. 2. Georgic. *ſum vitis.* Ac etiam ipſi, qui de agricultura ſcribunt, vites *gemmare*, aut *trudere gemmas* aiunt, cum *palmites* & frondes explicant. *Vitis* ergo Chriſtus, cuius gemmei *palmites* ſunt Apoſtoli, ceteríque beati ex eius ſucco & radice toti viuentes & depẽdentes. Sed loquatur de huius cæleſtis Darij thalamo aureo, aureaque & gemmata
Apoc. 21. 18. vite ipſe Apoſtolus. *Et erat ſtructura muri eius*, ait, *ex lapide iaſpide: ipſa verò ciuitas, aurum mundum ſimile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide precioſo ornata.*

nata. Fundamentum 1. iaspis: 2. sapphirus: 3. chalcedonius: 4. smaragdus: 5. sardonyx: 6. sardius: 7. chrysolithus: 8. beryllus: 9. topazius: 10. chrysoprasus: 11. hyacinthus: 12. amethystus. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum: Hoc est precium cælestis ciuitatis. Quid simile habet vllum opus humanum? Existimabat Persicus rex, se inter argentum & aurum molliùs, inter opes, irritamenta malorum, tutiùs posse cubare: denique nec aureæ vites vinum protulerunt, nec gemmei botri sitim extinguere potuerũt: nec fulgor metalli, aut lapillorũ lux clausos dormientis oculos oblectauerunt. Itaque frustra fuit Darius. Quid enim cæco colores? In cœlo vident sancti omnia gemmis, omnia margaritis, omnia lapidibus preciosis collucere: aut certè lucem hauriunt, quauis gemma preciosiorem; corpora cernunt plus, quàm margaritis pulcherrimis, exornata & diuino quodam fulgore splendescentia. Quid *Labyrinthus* ille Ægyptius? quid eius *cænacula excelsa, porticusq́ue,* quæ *ascenduntur nonagenis gradi-*

X.

Plin. lib. 36. Nat. hist. c. 13.

bus omnes? intus columnæ de porphyrite lapide? Deorum ſimulachra, regum ſtatuæ, ex auro argentoque conflatæ? Quid ſimile mundo exhibuit ipſe Dionyſius? ille, inquam, qui magnis multiſque prælijs acciſam ſubiugauit Indiam, ac in trophæum poſtea fertur habuiſſe templum adeò magnificum, vt in eo trecenti ſexaginta quinque gradus ex ſapphiro purpureo continerentur, teſte Epiphanio; quaſi nempe per totidem heroicorum facinorum gradus ad gloriæ culmen aſcendiſſet. Longè altiùs ſancti ſplendidiuſque aſcenderunt, nempe in illam *ciuitatem* lucidiſſimam, *cuius murus centum quadraginta quatuor cubitos magnus & altus, totus ex iaſpide* conſtructus, ſolis inſtar, effulget; & vbi aurum mundũ plateis inſtratum, ſine precio precioſum poteſt videri. Itaq; non gradus tantùm, ſed & muri, & portæ, & plateæ, & fundamenta deniq; ipſa omnia conſtant lapidibus precioſis.

Epiphan. lib. de 12. Gemmis cap. 5.

XI. Apud Plinium mirifica res narratur de *Fortunæ templo*, quod *ex lapide phengite*, ſiue *ſphengite pellucido* erat ædificatum. *Nerone*, ait, *Principe repertus eſt lapis in Cappadocia, duritie marmoris, atque tranſlucens, etiam qua parte inciderunt venæ, ex argumento ſphen-*

Plin. lib. 36. c. 22.

ſphengites appellatus: hoc conſtruxit ædem Fortunæ à Seruio rege ſacratam, aurea domo complexus. Quare etiam foribus clauſis interdiu claritas ibi diuturna erat, haud alio, quàm ſpecularium modo, tanquã incluſa luce, non tranſmiſſa. Hæc de Neronis domo Plinius.

Suetonius de Domitiano anxio, ne illorum, quos ſua crudelitate offenderat, coniuratione opprimeretur, *Tempore quoq; ſuſpecti periculi*, ait, *appropinquante, ſolicitior in dies, porticuum, in quibus ſpaciari conſueuerat, parietes Phengite lapide diſtinxit: è cuius ſplendore per imagines quidquid à tergo fieret, prouideret.* Sic nimirum tyranni preciosè habitabant, vt non niſi ſplendidè inſidias mortemque formidarent. Sancti in cœlo longè clariores circum ſe conſpiciunt *phengites*, non ad pericula nuncianda relucentes, ſed quia oculis eorum omnia debent eſſe clara, peruia, & perſpicua, perinde, ac ſi *auro vitreo*, hoc eſt, inſtar vitri pellucente, in cœlis omnia conſtarent. Qua ratione aliorum quoque gloriam intuentes, eâdem & ipſi per mutuam charitatem perfruuntur. Aurum enim charitas, vitrum eſt perſpicuitas: vt quod diuina viſione perſpiciunt, ardenti quadam charitate

XII. *Sueton. in Domitiã. cap. 14.*

tate tanquam ſuum intueantur, deque eo, velut de proprio bono gaudeant. Hinc *aurum vitro ſimile* cœlo conſignatum eſt.

XIII. Quin & ipſe Dei thronus gemmeus eſt ac pellucidus: *Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & ſardinis.* Spargebatur ſcilicet lumen hoc ex *iaſpide & ſardio,* qui veſtiebant, & quaſi corpus faciebant Deo. Nimirũ *iaſpide, gemma viridi & firma,* ſignificabatur, Deum ſua luce & clara viſione recreare & confirmare oculos menteſque Beatorum, idque conſtanter & iugiter in æternum, ait recens interpres, lumine gloriæ in eorum mentes transfuſo. Belleque hic *Iaſpis* inſtar chryſtalli pellucebat, vt ſignificaret, intimam Dei eſſentiam à beatis peruideri & penetrari. Hic porrò ſplendor tantus eſt, vt inſtar lucidiſſimi iubaris radiet rex ille. Quamobrem meritò Dauid cecinit: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Quod vnquam flauum pellucidumque marmor, ſeu *phengites,* id eſt, ſplendens ſaxum, tam illuſtre fuit? Spectatur Romæ cum magna admiratione, in templo S. Mariæ, in porticu ex *phengite,* ſeu flaui pellucentiſque iſtius mar-

Apoc. 4.3.

Cornel. à Lapid. in Apoc. 21. *v.* 10.

Pſal. 18.5.

De hoc lapide Boetius lib. 2. *de Lapidib. cap.* 280.

XIV.

marmoris genere columna dimidiata ad ſummum altare, colore flauo, parietis rimam opplens, ac exteriore parte allabentem lucem ſoliſque radios, inſtar vitri ſplendentis, intromittens; ſed vix ea gutta eſt lucis, ad fontem illum, immo ad Oceanum cœleſtis theatri, & templi, & lucis collata. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Omnia ibi lucent, omnia ſplendent, inſtar gemmarum, & adamantum, quos ſol accendit. Nihil proinde etiam miraculi habet menſa, quam Anſelmus Boëtius, ſcribit Rudolphum II. Imper. (cuius medicus ipſe fuerat) è *gemmis præſertim iaſpidibus*, extrui iuſſiſſe, cenſetque *octauum mundi miraculum eſſe* appellandam, & cum Dianæ Epheſiæ templo comparandam; cum in ea fabricanda plurimis annis maximiſque impenſis ſit deſudatum; quæque tanto fuerit artificio elaborata, vt gemmæ ſibi inuicem commiſſuris conſpectum fugientibus vnitæ, ſiluas, arbores, flumina, flores, nubes, animalia, variaſque rerum pulcherrimarum formas ita referrent, vt ad viuum depictæ, quin viuere, & per menſam ipſam diſcurrere viderentur, ac ſimile opus in toto terrarum orbe non reperiretur.

XV. *Anſelm. Boet. lib. 2. de gemmis. c.* 103. *& in ep. dedicator.*

tur. Repertum fuiſſet ſimile, multoq́ue magnificentius & admirabilius, ſi extra, aut ſupra orbem quæſitum eſſet. Menſa fuerat illa duntaxat, anguſtis ſpacijs extenſa. In cœlo ampliſſima fundamenta, altiſſimi muri, plateæ prolixiſſimæ gemmato pauimento, teſſellato emblemate, electo lapide vndique collucent.

§. V. Ipſius etiam Salomonis ædificijs longè ſplendidiſſimis, Christum ſuis ſeruis pulchriorem locum paraſſe.

XVI. Similem ſupra memoratæ menſæ ſeculi
Plin. lib. 35. cap. 1. ſui luxum deſcribit Plinius his verbis: *Nunc in totũ marmoribus pulſa* (pictura) *iam quidem & auro ſuperbitur, nec tantùm vt parietes toti operiantur, verùm & interraſo marmore, vermiculatis ad effigies rerum, & animalium cruſtis.* Sed ſuperauit ædificando omnes, qui ſapientia omnibus antecelluit Salomon. Is enim & diuitijs pollens, & auxilijs, & ingenijs, viginti annorum ſpacio, eiuſcemodi in Ieruſalem opera molitus eſt, vt nuſquam alibi reperirentur pulchriora. Quippe hoc tanto tempore conſtruxit *duas do-*
3. Reg. 9. 10. *mos, id eſt, domum Domini, & domum Regis,*
3. Reg. 7. 1. quarum alteram Deo ſeptem, alteram ſibi trede-

tredecim annis perfecit. Et quidem quam sibi posuit, triplex erat. Vna eius pars regi, altera reginæ filiæ Pharaonis destinabatur; tertia *domus saltus Libani* dicta vtriusque, tam regis, quàm reginæ oblectationi seruiebat; quam Iosephus non *domum*, sed *aulam* vocat, quasi regiæ basilicæ partem, aitque: *Nihil magis mirata est Regina Saba quàm aulam, cui cognomen saltus Libani*; idcirco scilicet, quòd quasi Libanus cedris, ita cedrinis columnis aula illa frequentiùs consita esset, vt Theodoretus, & alij interpretes voluerunt: vel quòd quasi totus saltus Libani, excisis inde cedris, in illud ædificium transportatus esset. Hæc regia non solùm in editissimo loco, nempe *in monte Sion*, erat sita, sed etiam quodam admirandi operis ponte templo iungebatur. *Huius* enim *pontis pilæ in infinitam quandam vallis, seu voraginis profunditatem, donec veniretur ad solidum, deijciendæ fuerunt, & eò crassiores, quò futuræ erant altiores.* Atque hæc tam immensi sumtus cogitatio non leuem in populo peperit offensionem, fuitque inter caussas seditionis contra Salomonem exortæ: *quia ædificauit Mello, & coæquauit voraginem*, ponte superiniecto.

2. Paralip. 8. 12.

Ioseph. lib. 8. c. 2.

Theodoret. q. 24. in 3. Reg. Villalpand. t. 2. l. 5 c. 10.

Iacob. Salianus tom. 3. Annal. ad annũ Mundi 3031.

3 Reg. 11. 27.

Ne

XVII. Ne cui autem regia illa Salomonis domus minùs ſplendida videatur, teſtatur
3.Reg.7.9. ſcriptura, eam *lapidibus precioſis* ædificatam eſſe; hoc eſt, raris, peregrinis, & è longinquo loco, magno ſumtu laboreque illuc peruectis, marmoreis ſcilicet, porphyreticis, Parijs, qui magni proinde precij eſſent. Qua de cauſſa Ioſephus tradit, domum illam quidem vbique fuiſſe cedrinis tabulis conſtratam, attamen nihilominus partim ſaxo quadrato decemcubitali conſtructam, partim precioſo marmore incruſtatam fuiſſe. Quanquam nihiladmodum incredibile eſt, parietes, feneſtras, portas, poſtes, limina, paraſtades, columnas, cum baſibus, capitellis, ſtylobatis, omnique epiſtyliorum, zophororum, & coronidum apparatu, precioſis lapidibus micuiſſe, cum de fundamentis ſcri-
3.Reg.7. 10. ptura memoret; *Fundamenta autem de lapidibus precioſis, lapidibus magnis, decem, ſiue octo cubitorum; & deſuper lapides precioſi æqualis menſuræ secti erant.* Vt meritò ſicut illorum ſaxorum, quæ in fundamenta iaciebantur partim ex firmitate, partim, & quidem præcipuè, ex magnitudine preciũ traxerunt, ita eorum, quæ è terra extabant,

bant, nobilitas ex raritate, læuitate, colore, ſplendore, duritie, maculis, & vniuerſa pulchritudine fuerit æſtimata. Atque vel ex hac ipſa ſeu fundamenti, ſeu murorum excellentia, de ceteris licet coniecturam facere. *Difficile eſt*, inquit Ioſephus, *enumerare amplitudinem, ac varietatem aularum, tam maiorum, quàm mediocrium, tum quæ ſub terra latebant, quæue in aërem elegantiſſimè attollebantur. In ſumma totum ædificium è marmore candido, & cedro, & auro, atque argento conſtabat, diſpoſitis, per parietes & laquearia, varijs lapillis auro incluſis, quemadmodum in ornatu templi factum fuerat.* Hæc Ioſephus; cuius dicta è ſacris litteris firmantur; ibi enim legimus: *Et tabulis cedrinis veſtiuit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis ſuſtentabatur.* Profectò ligneæ tabulæ niſi argento, vel auro veſtitæ, eiuſcemodi aulis & cameris ad ſplendorem & magnificentiam omnem comparatis, non magno fuiſſent ornamento. Niſi fortaſſe idcirco cedrinis tabulis parietes contecti fuerunt, vt periſtromata belluata, & aulæa Babylonica, aut Phrygia acu picta, imagineſque aliæ, quæ superponebantur, rectiùs conſeruarentur, nec

3.Reg.7.3.

à parietum humiditate aliquid vitij contraherent. Ita enim ſcribit Ioſephus. *Et tribus quidem ordinibus aulæis Babylonicis parietes prætexebantur, quartus verò ſculptorum admirabile ædificium oſtentabat; in quo effictæ variæ arborum, ac plantarum ſpecies, frondibus, & folijs tanta ſubtilitate expreſſis, vt agitari quodammdo viderentur. Reliquum verò, quod ſupererat vſq; ad lacunar, opere albario tectum, & diſcoloribus picturis erat variegatum.*

XVIII. Talis erat domus, quam Salomon ſibi conſtituit, quæ quanquam *tredecim annis* eſt ædificata, domus autem Domini *ſeptem* duntaxat, non tamen idcirco hæc ignobilior fuit, quàm illa. Immo multis partibus ſplendidior, amplior, precioſior erat templi domus. Cui quia ſapientiſſimus rex maiorem curam impendit, celerius eſt abſoluta, quàm domus regia: *Neque enim* ait Ioſephus, *tantam curam huic operi, quantam ædificando templo, impendit. Sed illud quidem amplum licet, & plus quàm credi poſſet celebre, cooperante Deo intra dictum tempus perfectum eſt. Regia verò tametſi multum magnificentiæ cederet, quod neque materia eius tanto ante præparata fuiſſet, & regi, non Deo ſtrueretur domicilium, eò tardius ad finem eſt per-*

Ioſephus lib. 8 c. 2.

perducta. Et hæc tamen pro dignitate fortunarum regis, ac gentis est ædificata. Porrò XIX.
quia in describenda Salomonici templi elegantia multi, etiã totis voluminibus, sibi vix satisfecerunt, & libri sacri ipsi sunt satis ea in re copiosi, nihil hîc aliud addam, quàm quantos auri argentique aceruos, immo montes, Dauid tam ad ipsa opera aurea atque argentea, quàm ad impensas templi filio suo Salomoni præparârit. Sic enim ipse loquitur: *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine.* Addit etiam infra. tria millia talenta auri, & septem millia talentorum argenti. *Quæ summa*, teste Saliano, *omnino maxima est, adeò vt si totam auri & argenti summam subducere, & ad æris Gallici valorem reuocare voluerimus, inueniamus à Dauide congestos, bis mille sexcentos septuaginta duos milliones, centum & viginti quinque millia nummorum aureorum. Quibus si addideris septuaginta duos milliones, nongenta & viginti sex millia, sexcentos & sexaginta sex aureos, qui à populo liberaliter dati reperiuntur in eodem loco, duæ*

1. Paralip. 22. 14. *Cap. 29.* *Salian. tō. 3. Annal. ad an. Mundi 3017.* *1. Paralip. 29. 4.*

summæ ascendent ad bis mille septingẽtos quadraginta quinq; milliones, quinquaginta & vnum millia, sexcentos, & sexaginta sex aureos.

XX. Quàm ornata domus ex hoc thesauro potuerit consurgere, non necesse est verbis explicare; præsertim cum tot hominum manus ad eam perficiendam laborârint; vt duplex bene magnus exercitus è latomis, atque ijs, qui ligna cædebant, aliaque materia præparanda occupati erant, confici potuisset. Ipsa scriptura loquatur.

2. Para-lip. 2. *Numerauit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israël, post dinumerationem, quam dinumerauit Dauid pater eius, & inuenti sunt 150. millia, & tria millia sexcenti, fecitq; ex eis 70. millia, qui humeris onera portarent* (en exercitum vnum) *& octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent*; (en

3. Reg. 5. 13. exercitum alterum) *tria autem millia sexcentos, præpositos operum populi.* Et alibi, ad hunc numerum, alia adhuc triginta millia adduntur operariorum, qui tantùm in Libano occupabantur. Hi omnes quantum opus fecerint, ipsa ostendit multitudo, quæ vtique non fuit ociosa. Et alioquin nihil delicatiùs arte Tyria, nihil Sidoniorum labore accuratiùs, nihil pulchrius Phœ-

Phœnicum inuctis habebatur. Quam necesse est operibus his, ab ipsius Salomonis summa industria diuinaque illa sapientia, gratiam accessisse? Quæ tamen omnia, XXI. si suis momentis verè expendantur, opus humanum fuerunt, certè oculus hominis ea vidit. At quæ in cœlo sunt, *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.* 1. Cor. 2. 9. Matth. 12. 42. Nonne Christus *plus quàm Salomon?* plus vtique & diuitijs, & ingenijs, & auxilijs, nam in eo *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi:* Col. 2. 3. qui de se ipso dixit: *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26. 53. Vnus autem Angelus & perspicacior, & efficacior est, quā totus ille numerus operariorum Salomonis. Quanquam non indiguit, nec adhibuit Christus Angelos, cum nobis domū regiam in cœlo, tanquam in monte Sion, appararet; & plus quàm è valle ac voragine Mello pilas eduxit, quibus pons ille inniteretur, per quem nobis vsq; ad cœli templum intimum, ad ipsam Dei visionem, in sancta illa sanctorum est transeundum. Ibi saltus Libani, & domus verè in oblectationem est facta. Nam Christus est *sapientia,* Prou. 9. 1.

quæ *ædificauit ſibi domum, excîdit columnas,* & elegit lapides precioſos ad eam exor-
Apoc.21. 19. nandam. Vidit hoc Apoſtolus. *Et erat ſtructura muri eius ex lapide Iaſpide; ipſa verò ciuitas, aurum mundum ſimile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide precioſo ornata.* Nuſquam, quàm ibi, feliciùs
Matth.13. 45. labor & ſumtus impēditur *negotiatori quærenti bonas margaritas.* Quid verbis vtor longis? Salomon viginti annis ædificium omne abſoluit: Chriſtus vt hanc nobis in cœlò domum appararet, triginta tres annos laborauit. Salomon *bis mille, ſeptingentos, quadraginta quinq; milliones, quinquaginta & vnum millia, ſexcentos & ſexaginta*
Luc.14. 28. *ſex aureos in ærario habuit*, cum *ſedens ſumtus computaret, qui neceſſarij* erant, ad tantum opus abſoluendum: Chriſtus preciũ infinitis modis grandius habuit, cum vellet nobis ſedem in cœlo comparare. Vnica gutta ſanguinis illius, omne argenti, auri, adamantum & ſapphirorum, ac ipſius cœli, ſi totum vna gemma eſſet, precium precio ſuo millies, iterumque millies, &
1.Cor.6. 20. decies millies ſuperauit. Sicut ergo nos ipſos, ita & domum nobis *magno precio* emit: vt decus & venuſtas, & nobilitas rei

emtæ constaret ex ipso precio emtionis. Atqui hoc ipsum cœlum tot vnionibus fulgens, tot gemmis coruscum adeò excedit illa Salomonis palacia, vt & triplex illa domus, & tota ciuitas Hierosolymitana figura tantùm atque vmbra fuerit illius cœlestis Hierusalem. Quantum ergo rei ipsi imago eius cedit, tantum cedit Christi regis nostri palacijs palacium Salomonis, vbi numerari potuit pondus auri: æstimari decor beryllorum; in cœlo hæc omnia & numerum excedunt, & mensuram. Quippe etiam ibi radiantibus metallis parietes vestiuntur, & ardentibus gemmis oculi perstringuntur: ac vbi hîc mortales curæ, hirundinum instar, è luto ædificant; ibi immortalis artifex regiam constituit è materia nullo seculo corrumpenda.

§. VI. Vtrum veræ gemmæ in cœlo sint futuræ, veriq; campi, flores, siluæ, &c?

Quanta hæc diuersitas? Hîc lateres, hîc saxa; hîc tophos admiramur: ibi sunt Iaspides; Sapphiri; Chalcedonij, Smaragdi, Carbunculi: omnia vndiq; plena gemmis. Cur autem gemmis? Quia par est locum elegantissimum elegantissimis rebus exprimi: at XXII.

mi: at gemmis & vnionibus terra nihil habet pulchrius, nihil nobilius; adeò vt stellæ, cæli gemmæ; gemmæ, terrarum sint stellæ, quarum vtique fulgorem, lucem, vim, virtutemque imitantur. Qua de caussa gemmæ, apud antiquos, rerum cœlestiū ac diuinarum hieroglyphica fuerunt. Quin aliqui gemmas, quasi *gummeas*, hoc est, instar gummi arborum lucidas ac transparentes dictas volunt. Vnde easdem esse, quasi *guttas* & *stillas* cœli arbitrantur. Ego veriùs imagines & simulachra esse putem eorum lapidum preciosorum, qui ex nonnullorum opinione, in cœlo conspicientur. Nam mihi non omnino absurda videtur sententia eorum, qui existimant veras ibi fore gemmas, quanquam longè his nostris præstantiores. Quod neque sine auctoritate, neque sine ratione affirmant. Vt enim non repetam verba S. Ioannis, toties testantis se gemmas in cœlo conspexisse, nonne & S. ille Tobias dixit? *Portæ Ierusalem ex Sapphiro & Smaragdo ædificabuntur; & ex lapide precioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius alleluia cantabitur.* Ita Tobias, ita alij

Andreas Bacci. de 12. gemmis.

XXIII.

Tob. 13. 21.

alij in diuinis litteris loquuntur, at ex regula S. Auguſtini, verba ſcripturæ propriè, vt ſonant, accipienda ſunt, niſi quid abſurdi ingerant. Si ergo oſtenditur non modò non abſurdum, verùm etiam conueniens eſſe, vt gemmea in cœlo palacia habeamus, ſatis etiã rationi conſentaneum eſt, vt gemmas illas cœli, propriè vereque gemmas eſſe intelligamus. Aque in primis notum eſt, Platonem non immeritò Moſen Atticum vocari, eò quòd pleraque, quæ ſcriptis reliquit, ex Moſe hauſerit. Quemadmodum ergo Moſes in *Rationali duodecim gemmas* poſuit, quas optimi ſcriptores tradunt, *quaſi duodecim ſigna Zodiaci* fuiſſe, cum & ipſum *Rationale* cœli fuerit typus, eiuſque ſpeciem ac figuram repræſentârit; ita & ipſe Plato, ſeu Socrates apud Platonem, meminit de *duodecim pulcherrimis coloribus ſuperioribus terræ illius, in quam poſt mortem tranſeunt, qui vitam longiorem meruerunt*: affirmatque noſtrates gemmas, vt *iaſpidem, ſapphirum, & carbunculum*, eſſe particulas, & ramenta quædam montium, ac gemmarum *terræ ſuperioris*. Quod etſi fabuloſum, tamen argumento eſt, nihil adeò inconueniens, aut Philoſo-

XXIV.

Exod. 28. 17.

Plato in Phadone.

phia indignum esse, de gemmis cœli cogi-
XXV. tationem suscipere. Accedit, quòd non animæ solùm, sed etiam corpora illuc sint ad beatitudinem suam itura. Quemadmodum ergo animæ, ita & corpora suum gaudium inibi reperient. *Oculi*, ait S. Anselmus, *aures, nares, os, manus, guttur, iecur, pulmo, ossa, medullæ &c. beatorum, mirabili delectationis, & dulcedinis sensu replebuntur.* Quod etiam B. Laurentius Iustinianus scribit. Viuent enim sancti in cœlo Empyreo, quasi in æthere quodam suauissimo & felicissimo, quem idcirco ritu aëris nostri findi scindique posse, S. Thomas alijq; tradunt: ne Beati in eo, quasi in muro, cõpacti sint. Tametsi enim & penetrabilia, & penetrantia erunt illorum corpora, tamen etiam ob ceteros sensus, connaturali degendi modo delectabuntur. Nimirum continget corporibus sanctorum,
XXVI. quod seruis euenire solet in nuptijs herilibus. Non enim ita Domini in nuptijs soli edunt, bibunt, & conuiuantur, vt nulla habeatur ratio seruorum. Ita etiam quamuis animæ in cœlo, præcipuè sint beatitudinem, & medullam gaudiorum percepturæ, tamen & corporibus sua erit voluptas, quo-

S. Ansel. lib. de similitudin. c. 57.

B. Laur. Iustin. de Discipl. monast. conuers. cap. 23.

S. Thom. in 2. d. 2. q. 2. a. 2. Richard. in 4. d. 49. q. 3. art. 4. Barrad. tom. 3. lib. 10. c. 3.

quorum sensus omnes mirificas oblectationes percipient, quas nec oculus vidit, nec auris vlla, in his terris, vnquã audiuit, aut ingenium excogitauit; vt excellentissimi Theologi docuerunt. Quò etiam Psaltes aspirauit, cum diceret. *Credo videre bona Domini in terra viuentium:* Sed non fuit auarus, qui & orauit, *ne declines cor meum in auaritiam:* & alioqui *credere* non potuisset, *se bona* ista, aurum scilicet, & argentum, & gemmas *in terra viuentium esse visurum.* Nam profectò auari illuc non intromittentur. Nihil enim ibi inter aurum & argentum aliud, quàm de furtis, & rapinis, & fraudibus cogitarent. Neque illuc gulosi pedem inferent, nam Dei immemores, tanquam glires, aut erucæ, Elysios illos fructus identidem depascendo æternitatem transigerent. Siquidem fructus ibi erunt, vt etiam multi arbitrantur, qui verum aurum & veras gemmas cœlo concedunt: quod, vt apparet, S. Augustinus quoque non tacuit, cuius Cygnea vox, & mellifluum carmen est:

Suarez. 3.p. tom. 2. disp. 47. sect. vlt. Io. Salas. 1.2. q. 5. a. 5. tract. 2. disp. 14. sect. 14. & apud eos alij.

XXVII.

S. Aug. lib. Medit. c. 26. tomo 9. Vide eundem lib. 22. de ciuitate Dei c. 29. toto. Vbi

Nam quis promat summæ pacis quanta sit lætitia?
Vbi viuis margaritis surgunt ædificia,

Auro

disputat quid oculi corporei beatorũ sint visuri.

Auro celsa micant tecta, radiant triclinia.
Solis gẽmis preciosis hæc structura nectitur.
Auro mundo, tanquam vitro, vrbis via sternitur.
Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur.
Hyems horrens, æstas torrens, illic nunquam sæuiunt.
Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum.
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum.
Virent prata, vernant sata, riui mellis influunt.
Pigmentorum spirat odor, liquor & aromatũ.
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.
Inhiantes semper edunt, & edentes inhiant.
Non alternat Luna vices, Sol vel cursus siderum.
Agnus est felicis vrbis lumen inocciduum.
Nox & tempus desunt ei, diem fert continuum.

S. Aug. lib. Medit. c. 25.

Hæc ibi D. Augustinus. Et alio loco: *Felix anima mea*, ait, *semperq́ felix in secula, si intueri meruero gloriam tuam, beatitudinem tuam, pulchritudinem tuam, portas & muros & plateas tuas, & mansiones tuas multas, nobilissimos ciues tuos, & fortissimum regem tuum*

tuum in decore suo. Muri namq; tui ex lapidibus preciosis, portæ tuæ ex Margaritis optimis, plateæ tuæ ex auro purissimo, in quibus iucundum alleluia, sine intermissione concinitur, mansiones tuæ multæ quadris lapidibus fundatæ, saphiris constructæ, laterculis coopertæ aureis, in quas nullus ingreditur, nisi mundus: nullus habitat inquinatus. Cuius rei figura fuit Paradisus, ex quo eiectus est Adam, postquam se peccato inquinauit. Talis Paradisus est & cœlum. Si enim Romæ *ante basilicam beati Petri*, vt Paulus Diaconus alijque referunt, porticus marmorea, quam post Symmachum Domnio Pontifex munificè ornauit, ob candidos lapides *Paradisus* fuit appellata, cur non & cœlum Paradisum vocemus, cui sanctus Pater tot preciosorum lapidum decus ascribit? Et quidem ita ascribit, vt doctissimorum virorum iudicio, etiam S. Augustini mens fuerit, fore in cœlo gemmas, immo & res floridas, odoriferas, amœnas, quæ tactum, odoratum, visum aliosque sensus pascant, & admirabili voluptate perfundant. Idem inusitata sua visione docet apud S. Gregorium miles: *Qui eductus è corpore exanimis iacuit, sed citiùs redijt, & quæ cum*

Paulus Diac. lib. 5. cap. 11. Item M. Attilius Serranus lib. de sept. Vrbis Ecclesijs.

Ita Cornel. à Lapid. in Apoc. 22. v. 2.

XXVIII.

S. Gregor. lib. 4. Dial. c. 36.

cum eo fuerint gesta, narrauit. Aiebat enim, sicut tunc res eadem etiam multis innotuit, quia pons erat, sub quo niger atq; caliginosus fætoris intolerabilis nebulam exhalans fluuius decurrebat; Transacto autem ponte, amœna erant prata atq; virentia, odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus albatorum hominum conuenticula esse videbantur. Tantumq; in eodem loco suauitatis inerat, vt ipsa suauitatis fragrantia illic deambulantes, habitantesq; satiaret. Ibi mansiones erant diuersorum singulæ, magnitudine lucis plenæ. Ibi quædam miræ potentiæ ædificabatur domus, quæ aureis videbatur laterculis construi, sed cuius esset, non potuit agnosci. &c. magni alicuius sancti fuisse, non est ambigendum. Nobiles aues, nobilis nidus decet: & si turtures in cedro, aquilæ in petra, Phœnices in cinnamomo decenter nidulantur, quis dubitet, in tam magnifica aurataque domo, in tam floridis campis, inter Pæstanas illas rosas, & æternum iucundissimarum siluarum fertilissimarumque arborum ver, insignes heroës conuenienter degere & inambulare?

XXIX. Itaque visas in cœlo gemmas ac flores, sicut & in Apocalypsi arbores, & poma, ad litteram accipi ex multorum sententia nihil

nihil admodum vetat. Si enim in paradiso terrestri his talibus, adhuc corruptioni mortiq; non obnoxius Adam frui potuit, cur non etiam beati in paradiso cœlesti ijsdem fruerentur, cuius imago & figura fuit terrestris paradisus? Profectò damnati, vt in Inferno etiam corpore crucientur, ignem, tenebras, formas monstrificas & tristes, fætorem ac mephitim, felleam amaritudinem, fletum, clamorem, vlulatum persentiscent. Nimirum par est, vt corpus, quod delicijs peccauit, etiam supplicijs ibi suis afficiatur. Cur non item in cœlo idem corpus, hîc tantopere maceratum & vexatum, suo quoque præmio donetur? & odore suaui, musica iucunda; sapore optato mulceatur? proque sulphureo & Auernali fætore, Elysiam rosarum fragrantiam; pro fletu concentum percipiat? Cum igitur corpora hominum & XXX.
ipsa suas oblectationes in cœlo sint receptura, omnesque eorum sensus; quis ambigat oculis quoque suas opes & gaudia contribuenda? Neque est quòd quis existimet luce sola, quæ sanctos vestiet, totumque cœlum amœnissimè illuminabit, & glorificatorum corporum totiusque in eis

eis architecturæ ac symmetriæ suaui aspe-ctu, esse oculos satiandos. Siquidem oculi non luce sola pasci consueuerunt, neque corporum pulchritudine, ac proportione contemplanda esse contenti solent; sed vel maximè colorum varietate, camporum virore, florum gratia, arborum fructuumque multiplici aspectu; fluuiorum lapsu, fontium pellucidis aquis vitreaque scaturigine, denique fulgentium gemmarum precioso nitore recreantur. His talibus spectaculis solent oculi hominum oblectari. Itaque si in cœlis deessent hæc talia, aut similia, feliciores ex hac parte oculi humani forent in terris, quàm in illa sede beatitatis. Quocirca multi probati doctores fuerunt, qui post S. Anselmum, docerent, varias in cœlo fore mansiones, palaciaque elegantissimè ex veris margaritis, & gemmis, & vnionibus fabrefacta.

S. Ansel. l. de sim. cap. 44. Et plures, cũ Barrad. t. 3. l. 10. cap. 3.

XXXI. Certè S. Agnes, apud D. Ambrosium, aliæque virgines beatæ cyclade aurea gemmataque decorissimè vestitæ apparuerunt. *Igitur dum parentes B. Agnes*, ait S. Ambrosius, *assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum eius, vident in medio noctis silentio exercitum Virginum, quæ omnes auro textis cycla-*

S. Ambr. Serm. 90.

cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant. Inter quas vident beatissimam Agnem simili veste fulgentem, & ad dexteram eius Agnum niue candidiorem. Hæc itaque dum viderent parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat sanctas virgines parumper gradum figere. Et stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi, & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi. Et illi sum iuncta in cœlis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi. Talibus (aut si mortalib. altiora non capientibus per similitudinem tantùm talia ostendunt alterius vitæ delicias) profectò longè nobilioribus modis, vt quidem mihi videtur, quanquam non ita compertis, in cœlo sancti & sanctæ prefruuntur, & abundant. Quis ergo ad illa Thessalica Tempe, ad illos Elysios campos; ad Hortos Hesperidum, ad Fortunatas insulas, ad vera minimeque fabulosa nectaris & ambrosiæ conuiuia, ad beata palacia; ex hac lachrymarum valle, ex isto exilio, ex luteis domibus, è fucatis miserijs, toto desiderio, & tanquam æstuans ceruus, sitiq; ardens, ad fontes aquarum viuentium non aspi-

ret? quis præ deſiderij magnitudine non cupiat diſſolui, vt cum Chriſto regnum tam floridum, felix, beatum poſſideat? O vtinam cum S. Paulo, aut cum D. Ioanne illuc nobis oculos immittere, aut etiam vel per rimam introſpicere liceret, quàm facilè, quidquid eſt in terris auri, quidquid gemmarum, & palaciorum, contemneremus? &, pro paruis iſtis, illa magna deſideraremus? dicentes cum Paulo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*
Rō.7.24.
Pſal.83.1. & cum Dauide: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.*

§. VII. Exempla eorum, qui cœleſtis Ieruſalem pulchritudine incenſi, mortalia contemſerunt.

XXXII. Generoſiſſimum etiam exemplum deſiderij iſtius, teſtimoniumque harum in cœlo deliciarum præclariſſimum nobis reliquit Dorothea, virgo, non conchæ, ſed ſuo ſanguine purpurata, quæ cum facibus lateri admotis, tanquam nuptialibus tædis lætaretur, & equuleo ſuſpenſa acerbiſſimè torqueretur, magna conſtantia tyranno aſtanti dixit: *Quid moraris? exerce in me omnia tua tormenta; fac illicò quod facere co-*
Sur.tō.1. in eius

re cogitas, vt per ea perueniam ad sponsum meum, pro cuius amore non timeo te, imò desidero tua tormenta. Sponsus enim meus me inuitat: imus enim per hasce pœnas breues & exiles, ad paradisum deliciarum, vbi sunt poma miræ pulchritudinis, rosæ, lilia, & flores innumeri, qui nunquam marcescunt, vbi sunt fontes aquæ viuæ, qui nunquam siccantur, quibus animæ sanctorum fruuntur, & exultant in Christo. Atque hæc reipsa esse in cœlo, castissima virgo postea etiam factis comprobauit. Nam cùm Theophilus assessor Præsidis irridens (erat enim hyems, & sexta dies Februarij) diceret: *Mitte mihi poma è paradiso sponsi tui, cùm eò perueneris. Faciam*, inquit illa: *idq́ præstitit. Misit enim ad eum Angelum pueri elegantissimi specie, cum pomis & rosis speciosissimis. Quo miraculo conuersus Theophilus, Christum confessus, Martyrij lauream pariter adeptus est.* Ita Elysium ver, ita *rosæ*, ita *poma* cœlestis autumni & virginem, & iudicem, ad Christi viridaria, & ad æterni Paradisi hortos pellexerunt. Sed & aliam pellexerunt gemmæ. Siquidem apparitoribus flentibus, quòd tam locuples, & nobilis puella, omni eruditione & sapientia laudabilis, inter lictores, tanquam pa- XXXIII.

Vita de qua etiã, Aldelm. l. de laude Virgini. Et Thom. de Kemp proprio de ea serm.

ranymphos, læta incederet, ad gladium, velut ad thalamum, ad mortem denique, tanquam ad voluptatem, hilariter vultuque non minùs, quàm animo sereno properaret, respondit magna illa Cæcilia: *Hoc non est iuuentutem perdere, sed mutare: hoc est dare lutum, & accipere aurum: dare habitaculum vile & paruum, & accipere palacium amplissimum ex lapidibus pretiosis & auro constructum: dare angulum breuem & obscurum, & accipere forum lucidum margaritis cælestibus coruscans: dare rem perituram, & accipere rem quæ finem nescit, & mortem ignorat: dare lapidem vilem qui pedibus conculcatur, & accipere lapidem pretiosum, qui in diademate regio vibranti resplendet aspectu.* Quis contractu tali nō cupiat locupletari, vbi pro plūbo aurum emitur, & pro silicibus vniones?

In actis S. Cæcilia.

XXXIV. Ad eundem, quo Cæcilia, modum, sapuit & diuina illa Agnes. Cui cum amore furens iuuenis cœpisset *offerre plurima, & plura promittere*, magis cordi fuerunt dona Christi, quàm proci; qui cum omnem lapidem mouisset, Agnetem non mouit. *Denique detulerat secum preciosissima ornamenta*, ait S. Ambrosius, *quæ à B. Agne veluti quædam stercora sunt recusata. Vnde factum est,*

S. Ambr. Serm. 90.

est, vt iuuenis maiori perurgeretur amoris stimulo: & putans eam meliora velle accipere ornamenta, omnium lapidum preciosorum secum detulit gloriam: & per seipsum, & per amicos, & notos & affines, cœpit aures Virginis appellare, diuitias, domos, possessiones, familias, atque omnes huius mundi diuitias repromittere, si consensum suum eius coniugio non negaret. Ad hæc B. Agnes tale fertur iuueni dedisse responsum: Discede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: discede à me, quia iam alio amatore præuenta sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, & annulo fidei suæ subarrauit me, longè te nobilior & genere, & dignitate. Ornauit me inæstimabili dextrocherio. Dextram meam, & collum meum cinxit lapidibus preciosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas & circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in facie mea, vt nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum, si ei perseuerauero, repromisit. Sic S. Agnes procum, procique gemmas & monilia contempsit, quia cimmelia maiora in cœlo expectauit. Sed hæc vir-

gines fecêre. Nunc & virum aliquem producamus, qui cum auguſtam, ſplendidam, precioſam ex auro argentoque ciuitatem cœleſtem conſpexiſſet, & ipſe terram poſtea deſpexit, & alios deſpicientiam illam perdocuit.

XXXV. Fuit is S. Saluius Epiſcopus, qui, cum ad cœli gemmas intuendas, poſt mortem raptus fuiſſet, indeque iuſſu ac imperio Dei ad vitam reuerſus eſſet, illicò exclamauit: *Audite ô dilectiſſimi, & intelligite, quia nihil eſt quod cernitis in hoc mundo, ſed ſunt iuxta id, quod Salomon Propheta cecinit, omnia vanitas. Felix eſt enim, qui ea agere poteſt in ſæculo, vt gloriam Dei mereatur cernere in cælo.* Cumque aſtantes rogarent, vbinam fuiſſet, quidnam vidiſſet? ait: *Cùm me ante hos quatuor dies, cõtremiſcente cellula, exanimem vidiſtis, apprehenſus à duobus Angelis in cælorum excelſa ſublatus ſum, ita vt non ſolùm hoc ſqualidum ſæculum, verùm etiã ſolem ac lunam, nubes & ſidera ſub pedib. habere putarem: deinde per portã, luce iſta clariorẽ, introductus ſum in illud habitaculum, in quo omne pauimentum erat quaſi aurum argentúmque renitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis: quam ita multitudo promiſcui ſexus obtexerat, vt longitudo ac latitudo cateruæ prorſus*

Gregor. Turon. lib. 7. Hiſtor. c. 1.

ſus

sus peruideri non posset. Cúmque nobis via inter comprimentes, ab his, qui præcedebant, Angelis pararetur, peruenimus ad locum, quem iam de longinquo contemplabamur, in quo superpendebat nubes omni luce lucidior, in quo nō sol, non luna, non astrum cerni poterat, sed super his omnibus naturali luce splendidiùs effulgebat. Subdit deinde de loci sono, fragrantiâ, turbâ, & voce. *Et vox procedebat de nube, tanquam vox aquarum multarum. Ibi etiam me peccatorem humiliter salutabant viri in veste sacerdotali ac sæculari, quos mihi qui præcedebant, enarrauerunt, esse Martyres, ac Confessores, quos hîc summo excolimus famulatu. Stantem igitur in loco, in quo iussus sum, operuit me odor nimiæ suauitatis, ita vt ab hac suauitate refectus, nullum adhuc cibum potúmque desiderem. Et audiui vocem dicentem: Reuertatur hic in sæculum, quoniam necessarius est Ecclesijs nostris. Vox enim audiebatur: nam qui loqueretur, penitus cerni non poterat. Et ego prostratus, super pauimentum, cum fletu dicebam: Heu, heu Domine, cur mihi hæc ostendisti, si ab his frustrandus eram? Ecce hodie eijcis me à facie tuâ, vt reuertar ad sæculum fragile, vt huc vltra redire non valeam. Ne, quæso Domine, auferas misericordiam tuam à me, sed*

deprecor, vt permittas me hîc habitare, ne illuc decidens peream. Et ait vox, quæ loquebatur mihi: Vade in pace, ego enim ſum cuſtos tuus, donec reducam te in hunc locum. Tunc relictus à comitibus meis, deſcendens cum fletu per portam, quâ ingreſſus fueram, huc ſum regreſſus.

XXXVI. Hæc S. Saluij fuerunt verba, è cælo in terras redeuntis; qui Albigenſium Epiſcopus factus, vitam poſtea prorſus cœleſtem & Angelicam egit, ſuaſque oues omnes identidem commonuit, vt orationi incumberent gnauiter, & vigilijs conſtanter inſiſterent, bonaque ſemper, tam manu, quàm mente, hoc eſt, æquè opere, ac cogitatione verſarent, addens: *Hoc agite, vt, ſi vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in iudicium, ſed in requiem intrare poſſitis.* Quæ omnia B. Gregorius Turonenſis totidem verbis commemorat: qui illa ſe ab eiuſdem S. Saluij ore accepiſſe iuratus aſſeuerat, eo loco, quo felicem eius ad Dominum migrationem denarrat: quæ migratio contigit Anno Domini 586. cuius memoriam Eccleſia quotannis die 10. Septẽbris in Martyrologio recolit. Nos quotidie recolamus, vt & ipſi beatæ illius habitationis memores vitam in terris cœleſtem,

ſtem, inter homines Angelicam agere incipiamus.

§. VIII. Quid ex hac ſecura iucunditate etiam nos diſcamus? Et alia de cœleſtium gemmarum virtute exempla.

Si enim capti Iſraëlitæ, & ad viliſſima quæque opera damnati, multo labore fracti & feſſi, ad Babylonē, propter Euphratē, atque ad aliorum fluminum præripia conſederunt, & dulcis patriæ terreſtriſque Ieruſalem, ac præſertim Sion, vbi templum adeò celebre fuerat, memores toti in lachrymas & flumen propemodum ſunt reſoluti: quid nos non faciemus, ſi ſeriò perpenderimus, in quàm miſera terræ Babylone capti detineamur, & à quàm felice Ieruſalem in cœlo exulemus? An non dicemus? *Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus: cum recordaremur Sion. In ſalicibus, in medio eius, ſuſpendimus organa noſtra.* Non enim placet cantare *canticum Domini, in terra aliena,* non ſapit hîc vllum gaudium, quod ſine Domino eſt. In exilio flendi locus & tempus eſt, tunc exultabimus, cum ad patriam appellemus, vbi & locus & tempus eſt exultandi. *En ipſa eius recor-* XXXVII. Pſ.136. 1.

S. Bern. Serm. 33. in Cant. *datio*, ait S. Bernardus, *nimirum patriæ cælestis, ad lachrymas prouocat me miserum, heu longè agentem, & de longè salutantem, iuxta affectionem, & vocem dicentium: super flumina Babylonis &c:* Et S. Augustinus: *O pax illa, quam videbimus apud Deum! ô illa sancta æqualitas Angelorum! ô illa visio & spectaculũ pulchrum! Ecce in Babylonia pulchra sunt, quæ tenent: non te teneant, non decipiant, aliud est solatium captiuorum, aliud gaudium liberorum.*

S. Augustinus in Psal. 136.

XXXVIII Et tamen quàm multi Babylonica captiuitate cæcissimè inuoluti, cœlestisque illius & palacij, & munitionis penitus obliti, ita mistum ab impia meretrice calicem sitienter biberunt, vt, tanquam si letheis aquis se se inebriauissent, loca munita fugiant, intuta dies noctesque quærant? Nempe & diabolus aliquando fuit in cœlo. Huic mendacissimo exploratori potiùs credunt, quàm, Paulo, quàm Ioanni, quàm ipsi Christo. Hinc sibi persuadent nõ tantam inibi esse vel amœnitatem, vel securitatem, vt terræ amœnitatibus periculisque sint anteponendæ. Hæc caussa est, ob quam tam multi extra muros in siluis, & frutetis, more ferarum scilicet, atq;, vt ipsi aiunt, *in libertate viuere* malunt.

Nem-

Nempe vt & alijs ſit libertas illos perdendi. Hæc cauſſa eſt, ob quam turres & vigiles oderunt. Nimirum alias ipſi turres & tenebras, poſt mænia, & extra mænia quærunt, maluntq́;, abſente patre familias, inter impiam ſpem, & ſceleratum metum, periculoſiſſimè diuertere, quàm ſecurè iucundeque in cœlo cum Angelis habitare. Ne ſcilicet ipſæ turres de munitione glorientur, ipſi egregij Ioues earum pudicitiam, in dominorum abſentia, expugnant: aut *ne*, in domo, *vacuum detur*, volunt ipſi vices implere non maritorum, ſed adulterorum. Boni Philoſophi, mali Chriſtiani. Denique quid morum cuſtodes in terris, aut Intelligentias in cœlo ſemper vigilātes morarentur, quorum id vnicum ſtudium eſt, vigilare, ne poſſint alij dormire: & illuc ducere, vbi poſſint ſeducere? Atqui quid hoc eſt aliud, quàm pericula præferre ſecuritati? Quis in diluuio non mallet arcæ includi, quàm in gurgite vaſto natitare? quis nimbo cadente, non potiùs eligeret tectum, quàm campum? quis, prælio ſagittas vndique & tela iaculante, non ſatiùs putaret, poſt murum ſtare, quàm ad omnem ictum ſe patefacere? Et tamen viliſſi-

mi iſti

mi iſti terræ filij, hoc ſuum cœlum eſſe arbitrantur, ſi ibi ſint, vbi poſſunt excidere cælo; hanc ſuam eſſe gloriam exiſtimant, ſi ad famæ & vitæ ſuæ ſcopulos accedere non prohibeantur. Nam, vt de cœlo nihil ampliùs dicam, nonne digito notantur, quacunque iſti angulorum & luſtrorum amatores, & impuri nycticoraces incedunt? Quis eos euulgauit? Sunt & aliæ noctuæ, quæ noctu vident, & res nocturnas. Hæ ipſæ de te ſiniſtra canunt: quia non ignorant à te nidos ſuos ambiri. Ita bubonibus noctuæ, & noctuis bubones inſidiantur. Et, ſi vel hæ etiam aues tacerent, ipſa tua tot verrucarum tamque tuberoſa & montoſa facies; ipſe tam ſcabioſus genarum horror ac luror ſatis loqueretur, te ibi fuiſſe, & eſſe ſolere, vbi caſtitas peſtilentia laborat. Atque vtinam fama ſola, & non etiam vita ſæpe naufragium faceret, inter iſtas ſyrtes! Quoties enim in poculo vinum, in vino venenum bibitur? Et hæc vita, hæc beatitas exiſtimatur? Iſtis periculis cœli amœnitas ſecuritaſq; venditur? Quod quidam cum probè agnouiſſent, vela prudenter verterunt; & cum Dauide
Pſal. 70.3. dixerunt: *Eſto mihi in Deum protectorem, & in lo-*

in locum munitum, vt saluum me facias, in loco primùm isto, vbi perfecta salus non est, deinde etiam in altero illo, perfectè securo, & iucundo. Quanquam enim labor est, vela vertere, aut, pro delicijs, cruces amare, facilè tamen labor ille omnis vincitur, si præmium eius consideratur. Sic S. ille religiosus, cui Francisci nomen, cum Deo seruire cœpisset, grauissimis oculorum cruciatibus est ab Orco oppugnatus, ita vt ne minimum quidem lucis radium ferre posset. Inter quos dolores, cum oraret, de cœlo vox est ad aures eius talis allapsa: *Francisce, responde mihi, si tota terra esset aurum, & mare, & flumina, & fontes essent balsamum, & omnes montes, & colles, & lapides, essent lapides preciosi, & tu inuenires alium thesaurum tanto nobiliorem his omnibus, quanto est nobilius aurum, quàm terra, & balsamum, quàm aqua, & lapides preciosi, quàm saxa, & esset tibi datus pro infirmitate tua ille thesaurus tam charus, nonne deberes multum gaudere? Respondit S. Franciscus: Domine non sum dignus tam precioso thesauro. Et Dominus ad eum ait: Gaude nunc Frater Francisce, quia ille est thesaurus vitæ æternæ quem tibi reposui. Et ex nunc te inuestio, & ista infirmi-*

XXXIX.

Ita ex Chronico Minorum recitatur in Spec. Exemp. De cælor. glor. exemp. 8.

firmitas, & afflictio tua est arrha illius beati thesauri. Qua gemmarum promissione, Franciscus sensit salubrem oculorum suorum dolori factam medicinam. Maluit enim huius Mundi rudia saxa non aspicere posse, quàm excidere spe lapidum tam preciosorum, in cœlo videndorum.

XL. *Vincent. Belluac. l.12. hist. cap. 133.* Alij ad maiora, his cœlestibus gemmis sunt animati. Sæuiente enim magno, in Christianos, gentilium furore, inuenta est fæmina, quæ exemplo suo docuit, quid viros facere deceret. Siquidem Fides virgo à primis vnguiculis Christum amare consueta, atque, ob ipsam vitæ sanctitatem, ad Dacianum raptata, cum neque minis adduci posset, ad Christum negandum, neque blanditijs pellici, vt Ioues adoraret, mandato præsidis, distractis in diuersa mẽbris, super cratem ferream dirissimè est extensa, subiectisque ardentissimis prunis lento cruciatu tosta. Quo in tormento, incredibili patientia constantiaque, multos ad Christum conuertit. Erat eo ipso tempore Caprasius, metu præsidis, non procul ab vrbe, in exesæ cuiusdam rupis antro absconditus: sed diuino beneficio vir ipse, quanquam alioqui sanctus, tamen à femi-

à femina ad fortiter ſubeundam mortem animandus. Ergo vniuerſa diuinitus, quæ intra muros circa martyrem puellam gererentur, clarè videbat. Virginem igitur, tam immani crudelitate, vſtulari conſpicatus, & tamen, defluente inter vehementiſſimos ardores carne, animum non defluere, nec fidem in Fide nutare; enixiſſimè Deum eſt precatus, vt ſibi, tantæ fortitudini præmium paratum, oſtenderet. Vix verba illius ad cœlum aſcenderant, cum protinus vidit, niuis inſtar, candentem columbam de cœlo deſcendere, vnaque primæ formæ ephebum, & ipſum alis ſe ſe librantem. Ephebus ſtolam atque alia ornamenta miri decoris ferebat, quibus iacentem in igne virginem contegeret. Columba autem coronã geſtabat auro gemmiſque ita lucentem, vt Ariadneam illam, inter ſidera conſpicuã, pulchritudine vinceret. Hanc coronam capiti Virginis impoſuit, iam etiam hac gemma radiaturam. Quin etiam ita circa cratem ignemq; obuolauit, vt antiqui moris vnam credidiſſes. Nam concuſſu alarum balſami guttas, immo cœleſtis roris tantam copiam in prunas effudit, vt ignis incendium, in

balnei

balnei refrigeriũ verſum videretur. Quod cum conſpexiſſet diuinitus in latibulo ſuo Capraſius, illico tantæ coronæ potiundæ amore incenſus, è rupe proſilijt, iam ipſe ſibi & tyranno rupes futurus. Quod & fuit. Nam tanta crudelitate à Daciano, ob Chriſti nomen eſt laniatus, vt inaudito patientiæ miraculo Primum & Felicianum fratres, illico fecerit Chriſtianos. Itaque quatuor victimæ vno tempore ceciderũt. Quid dico ceciderunt? Vt gemmis coronarentur, caput cœlo inſeruerunt. Quàm verè hi gemmas nouerant æſtimare? Nos vitra, pro gemmis, more puerorum, eligimus. Iracundia noſter eſt carbunculus; libido noſter ſmaragdus; auaritia noſter topazius; ſuperbia noſter amethyſtus. Ex his gemmis nulla lucebit in cœlo corona. Gemmæ martyrum illic naſcuntur, quibus patientia, quibus caſtitas, quibus liberalitas, quibus humilitas coronetur. *Nemo* enim *dicat*, ait S. Auguſtinus, *quod temporibus noſtris Martyrum certamina eſſe non poſſint. Habet enim & pax noſtra Martyres ſuos. Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, iuſtitiam cuſtodire, auaritiam contemnere, ſuperbiam humiliare, pars magna martyrij eſt.*

S. Auguſtinus ſerm. 250. de Temp.

Caput

Caput VII.

QVANTO SECVRIOREM SVIS AMICIS DEVS IN COELO, QVAM REGES IN LABYRINTHO, fecerit habitationem?

§. I. *Labyrinthi, aliæq; munitiones hominum, in qua nam re cedant munitioni cœlesti?*



NTER præcipuas *Labyrinthi* constituēdi caussas, fuit securitas habitandi: ad eum enim, tanquam ad asylum, mortales cõfugerunt. I.
Ægyptius ille *Labyrinthus* eiuscemodi molibus fuit compositus, *quas dissoluere ne secula quidem possent,* ait Plinius. Quare id opus, ob præclaram ipsius munitionis firmitatem, Heracleopolitis mirè inuisum extitit, & diu frustra infestatum est. Itaque tutissimè in eo, velut testudo intra tegumen, habitarunt & reges ipsi, & eorum præfecti intimique, & mortui quoque, quos charissimos habebant, quibusque ibi sepulturas extruebant, & denique ipsi Dij, quorum magnificæ ædes, aræ, statuæ, ac templa eodem loco cernebantur. Fuitq; hic omnium ferè regum ac principum mos, vt sibi de secura habitatione prospicerent, atque Achiuos, vt in veteri prouer-

Plin. l. 36. Nat. hist. cap. 13.

bio eſt, de turre iudicarent, tuti ſcilicet eos, qui periclitarentur. Quam ob cauſſam pleræque nobilium ac magnatum arces editioribus locis ac montibus olim imponebantur. Quin & ipſæ mulieres ſceptro potentes id operam dederunt, vt ibi domos haberent ac palatia, quò hoſtibus acceſſus non eſſet. Ita Minerua illa Poëtis celebrata femina altas Athenienſium arces condidit, vt in eas ſe ipſam condere poſſet. Ita mænia ac muri Semiramidis Babyloni circumdati celebrantur; & adeò etiam adagio locum dederunt. Ita Herodotus, & Xenophon teſtantur, ab inſignis animi regina Nithocri, incredibili labore, & noua induſtria, Euphratem (ſpecie quadam *Labyrinthi*) per anfractus, circumductum adeò feliciter, vt eandem vrbem Babylonem reddiderit inexpugnabilem; ſi quidquam in hac vita inexpugnabile reddi poſſet. Siquidem Cyrus poſtea Euphratem in varios riuulos ita deduxit diſtraxitque, vt facilè traijci poſſet. Quo pacto, poſtquam flumen cepit, etiam vrbem cepit & occupauit. Nimirum nihil humanis manibus factum eſt, quod humanis manibus non itidem deſtrui poſſit. Solùm æterni

Catull. de Nupt. Pelei & Thet.

Herodot. lib. 1. Xenoph. l. 7. de Cyri inſtitut.

æterni opificis opus est æternum. Quãuis fabulosa antiquitas nec ipsi quidem cælo omnem concesserit immunitatem. Nam gigantes, egregia terræ soboles, superos aggressi sunt; II.

Neue foret terris securior arduus æther: *Ouid.l.1. Metam.*
Affectasse ferunt regnum cæleste Gigantes,
Altaq; congestos struxisse ad sidera montes.

Verùm hæc fabula aut ad illos gigantes respicit, qui in terra Sennaar, turrim Babel moliti sunt; aut à Lucifero ceterisque spiritibus Apostatis qui in cœlo sunt tumultuati, originem traxit. Ex eo tempore cœlum omne est & ab expugnatione externa, & ab intestinis seditionibus perpurgatum; neq; posthac quidquam aut quod sit *coinquinatum*, aut quod coinquinare possit, illuc introibit. Quæ profectò non minima est laus beatæ illius habitationis. Turres, arces, mænia, *Labyrinthi*, & quidquid in humanæ salutis munitionem est extructum, si extra fumum & vndam fuit, si non ab hoste alio, saltem ab antiquitate potuit expugnari. Cœlum domus est amænitatis, securitatis, æternitatis. Munitissimum Ilium decimo anno est ab obsidentibus & insidiantibus Græcis captum. *Gen.11.1.* *Apoc.21. 27.*

Cœlum nullus vnquam hoſtis occupabit.
Pſ.144.13. *Regnum tuum, regnum omnium ſeculorum. & dominatio tua in omni generatione, & generationem.*

§. II. *Scripturæ ſacræ teſtimonia cœli ſecuritatem indicantia.*

III. Ibi ciuitas *ſupra montem poſita eſt*, vt ipſe
Matth. 5. 14. eam loci ſitus defendat. Ibi ſapientiſſimum & potentiſſimum ciuitatis Præfectum de-
Ierem. 1. 18. dit Deus Chriſtum *in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum.*
Matth. 16. 18. Quapropter *portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Infixa capiti Chriſti ſpinea corona, fixum illius & æternum regnum ſignificauit. Nemo enim melior eſt cuſtos,
Pſ. 126. 1. quàm ille: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Fuit & Hector ciuibus pro muro: ſed & murus, & Hector deiectus eſt. Spartani vrbi ſuæ mœnia non circumdederunt, vt ipſi pro mœnibus eſſent, ſed ſæpe vrbs illa & viris, & mœnibus deſtituta eſt. Vrbs cœleſtis, in qua Deus dedit Chriſtum *in columnam ferream, & in murum æreum*, ita *munita* eſt, itaque cuſtoditur, vt ne ſpes quidem ſit hoſtibus illuc accedendi. Id ipſum etiam alij

agno-

agnouerunt, & de periculis huius vitæ illuc anhelantes lætiſſimè exultauerunt. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine*, ait Dauid, *quam abſcondiſti timentibus te? Perfeciſti eis, qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum*, dolores multiplicantiũ, vt videant contra ſua flagella, eſſe tua ſolatia. *Abſcondes* enim *eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum. Benedictus Dominus, quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita*; ad quam nihil penetrat mali. Et ad hanc etiam alibi anhelans clamat: *Quis deducet me in ciuitatem munitam?* Quanquam hæc verba Euthymius, Theodoretus & Baſilius interpretentur, eſſe votum populi detenti in captiuitate Babylonica, & redire cupientis Ieroſolymam, quæ fortiſſimis erat mœnibus cincta ac vndique optimè *munita*. Quæ ipſa terreſtris Solymæ munitio, figura erat munitionis cœleſtis. Hæc ſiquidem longè præſtantior eſt, quàm & illa, & quæuis alia, quæ à prophetante Dauide per *ciuitatem munitam* potuit intelligi: nempe vel vetus illa Roma à robore dicta, vel Conſtantinopolis *noua Roma* appellata,

Pſ. 30. 20.

Pſ. 59. 11.

IV.

N 3 in qui-

in quibus ciuitatibus Christianum nomen, robur ac potentia maximè eluxit. Monstrata est hæc cœlestis ciuitatis munitio etiam S. Ioanni: *Et erat structura muri eius ex lapide iaspide.* Sic nempe per alium Prophetam erat promissum: *Ponam iaspidem propugnacula tua.* Scilicet lapis non modò clarè pellucidus, & amœnè virens, sed etiam firmissimus est *iaspis*, vt tradit Plinius. Quamobrem lapis, è quo muri ciuitatis illius assurgunt, non tantùm significat vrbis claritatem eximiam, & delicias ac venustatem, sed etiam diuinam quandam & inexpugnabilem firmitatem, qua defenditur & roboratur. Quin creditum est ab antiquis, *iaspidem vim habere fugandi dæmones ac phantasmata, & esse præsens contra venena & veneficia amuletum.* Verba Dioscoridis sunt: *Omnes iaspides amuleta esse traduntur.* Et S. Hieronymus, *iaspis*, inquit, *est smaragdi habens similitudinem, quo omnia phantasmata fugari autumant, vocatur grammatias.* Quod sumsit ex Plinio Hieronymus, non tanquam crederet, sed vt vulgi opinionem recitaret: quocirca re ipsa superstitiosum vocat Isidorus. Fortè inde ortum est, quòd *iaspis* stomachum confir-

Apoc. 21. 18.
Isa. 54. 12.
Plin. l. 37. cap. 8.
Dioscor. lib. 5. cap. 160.
S. Hieron. in Isa. cap. 54.

confirmet, teſte Galeno: at languentes ſtomacho, ſæpe exiſtimant ſe philtris, aut veneficijs in eum languorem fuiſſe perductos. Et ſi vel maximè tota hæc *iaſpidis* virtus ficta foret ac fabuloſa: tamen ſolent ſe diuinæ litteræ in ſymbolis ſæpe communi hominum ſenſui, ac opinioni accommodare. Itaque *ſtructura muri* cœleſtis eſſe dicitur *ex lapide iaſpide*, quia inde dæmones procul abarcentur, & cum dæmonibus omne genus veneni ac tempeſtatum. *Gal. l. 9. Simplicium.*

Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum, ait: quia hîc Deus permittit linguis impiorum habenas, vt etiam hominibus ſanctiſſimis contradicatur. Hac illi via peruenire debent ad *tabernaculum protectionis*; ſicut & impios maledica lingua ad dæmonum flammas perducit, quorum idiomate vtuntur. Nullus enim prorſus eſt in via ad cœlum, cuius lingua tanquam *ſepulchrum patens*, aut infernus, maledicta, detractioneſque eructat. *Pſ. 30. 21.*

§. III. *A quibuſnam rebus cœleſtis regiæ habitatores præ terræ incolis ſint ſecuri?*

V. Dum igitur linguæ iſtæ flammas merentur, & æternam maledictionem, alios

ad cœlum promouent, immo eò aſpirare faciunt, vbi erit ſecura, *protectio à contradictione linguarum*. Hac ipſa de cauſſa, in perluſtranda illa *ciuitate noua ac munita*, *mare*
Apoc.21.1. *non comparebat.* Ait enim Apoſtolus: *Et vidi cœlum nouum, & terram nouam.* Cur nouum cœlum, & nouam terram! *Primum enim cœlum, & prima terra abijt, & ma-*
Beda. in epiſt.2. Petr.c.3. *re iam non eſt.* Quibus verbis Beda arbitratur doceri, poſt diem iudicij, *mare omnino ſiccandum eſſe & abolendum*; quin & ignem periturum autumat: cum S. Ioannes hîc tantùm cœlum, id eſt, aërem, & terram nominet, quaſi hæc duo ex elementis ſola ſint manſura & renouanda. Eodem col-
S. Auguſtinus lib. 20. Ciuit. cap.16. lineat Sanctus Auguſtinus, illa verba, *Mare iam non eſt*, ſic exponens: *Vtrum maximo illo ardore* (conflagrationis Mundi) *ſiccetur, an & ipſum vertatur in melius, non facilè dixerim: fortaſſe tamen maris nomine intelligitur hoc ſeculum turbulentum & procelloſum.* Ita planè intelligitur, ſi pluribus ſubſcribimus. Nec enim quartum elementum ad Vniuerſi perfectionem neceſſarium tunc tolletur; ſed *non eſt*, id eſt, non erit, ſcilicet tale, quale fuit vetus illud craſſum, turbidum, procelloſum, perpe-

tuis

tuis fluctibus & æſtu agitatum. Itaque erit non minùs, quàm cœlum & terra, *nouum*, purum, pellucidum, quietum, ſerenum, vt iam non videatur eſſe *mare*, ſed amœniſſimè lucens cryſtallus. Quod ſi in *mari* fiet, quid in cœlo fiet? Nouum cœlum, & *noua terra*, & nouum *mare*, & nouus ignis. Quia ille tunc ignis neminem lædet, neque æſtum, aut ſudorem creabit, ſed diuini amoris incendio innoxio omnes beati iucundiſſimè ardebunt. Tunc in illud infinitæ bonitatis, potentiæ, ſapientiæ pellucidiſſimum mare, ſancti ſe totos immergent, neque quidquam ſalſedinis, aut fluctuum, aut tempeſtatum ſentient. Non erunt ibi iſti inflati Æoli, in quibus cum vix vlla ſit mica ſcientiæ, aut gutta boni ſanguinis, aut vmbra virtutis, audent tamen ſpirare minas, promittere Aquilones, iactare tonantia verba, & neſcio quas parare nubes contumeliarũ, cum ipſi tanquam ſpurcidici, blaſphemi, impij, detractores, & alienæ famæ interfectores digni eſſent, de quibus omnia fora, omnes anguli, omnes menſæ loquerentur. Non erunt ibi Tritones, non Palæmones contra eos ipſos tuba canentes, ante quos paulo poſt

ſupplices iacebunt mendicantes. Nouum igitur *mare erit.* Nunc enim iſta in mari monſtra inueniuntur. Sic & *noua terra* tunc erit. Nunc in terris corpora varijs laboribus premuntur, doloribus vruntur, mortibus conficiuntur: tunc ſine his rebus illa *terra noua erit*; quia laboribus quies, doloribus impaſſibilitas, mortibus immortalitas ſuccedet. Sicut & nunc in Eccleſia militante *cælum* quidem eſt, & quoddam regnum Dei, ſed in hoc cœlo ſolicitudo animarum, pugnæ, laboreſque inueniuntur: tunc *cælum nouum erit*, vbi hæc ſolicitudo non erit; nec procelloſum *mare* erit, impijs in infernum relegatis, qui tot motus & fluctus in ſanctos identidem excitauerunt. Ibi nullus perſecutor, nulli metus, nullæ formidines, nulla pericula, nulla naufragia timebuntur. Nimirum quia ſancti perpetim aſpicient Numinis vultum, illum, inquam,

Virgil. 1. AEneid. *Quo vultu cælum tempeſtateſq́ ſerenat.*

VI. Et erit *tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus: & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor,*

Apoc. 21. 3.

mor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt. *Delebit* enim, vt Tertullianus ſcribit, *Deus omnem lachrymam ab oculis eorum; vtiq; ex iiſdem oculis, qui retro fleuerant, quiq; adhuc flere potuiſſent, ſi non omnem lachrymæ imbrem indulgentia diuina ſiccaret.* Atque hoc eſt, quod Iſaias promiſit: *Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie*, piorum ſcilicet. Nam apud impios erit *fletus & ſtridor dentium*, qui intempeſtiuo riſui eorum, & cachinnis ſuccedet, vt ex Democritis faciat Heraclitos: cum è diuerſo ſanctorum lachrymæ in riſum & lætitiam conuertentur. Quare rectè S. Bernardus: *Felices*, inquit, *lachrymæ, quas benigna manus conditoris abſterget: & beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt; quàm eleuari in ſuperbia, quàm omne ſublime videre, quàm auaritiæ & petulantiæ famulari.* Si enim, teſte Euagrio, *præſtat in ſtorea ſecurè agere, quàm in lecto aureo perturbari*; profectò longè erit optabilius, in aurea illa cœli quiete *ſecurè agere*, quàm in terreis his *ſtoreis* perturbari. Vt enim perturbationes hîc non deſunt, ita nec ibi deerunt ſecuritates. Eſt quippe ſecuritas, *perfecta quies animi à timore*. Cum igitur

Tertull. de Reſurrect. carnis c. 58.

Iſa. 25. 8.

S. Bern. in Declam.

Ant. & Max. Serm. de ſecuritate.

S. Thom. 2. 2. q. 129. art. 7.

igitur nihil ibi poſſit timeri, hîc inter ſpem & metũ ſemper verſemur, facilè apparet, quid ſit præferendum.

VII. Nulla ſecurior aut à timore remotior ſedes eſt, quàm quò neque malum, neque periculum mali poteſt accedere. Talis nulla ſedes in terris reperitur. Ad eam enim ſedem pertinet, vt corpus ita cuſtodiat, ne morbi, ne dolores, ne mors ipſa poſſit illud infeſtare. Siquidem morbi & dolores, & mortes non paruæ ſunt miſeriæ, ſed mala ſunt non permittentia ſecuritatem. Pertinet deinde etiam ad talem ſedem, ne ibi maledicentiæ, ne contradictioni, ne peccato ſit locus. Cum enim & conuicijs proſcindi ſit moleſtum; & peccatis contaminari miſerum, immo cum peccatum ſit ingens miſeria, & malum maximum, quomodo poteſt videri ſecurus, ne dum beatus, qui à ſummo malo occupatur? Pertinet denique ad talem ſedem præter Dei ſummi boni cognitionem & amorem, gaudiumque & voluptatem inde natam, vt hæc omnia ibi ita poſſideantur, vt amitti nulla vi, nulla fraude, nullis inuidijs, aut inſidijs, nulla temporum diuturnitate poſſint. Si enim amitti poſſint, ſolicitudines, velut veſpæ caput

caput circumuolantes, anxietatem continuam inferent, neque ſincerè ſecureque delectari ſinent poſſeſſorem, ipſa amiſſione boni, atque impendentis mali expectatione ſuſpenſum. In hac igitur terra nequit vera eſſe ſecuritas. Nullus enim ex rata naturæ lege, poteſt ſine morbis, ſine dolorib., ſine curis viuere, & tandem, cum Mors venit, etiam *in medio Tibure Sardinia eſt*. Nullus quippe tam ſalnbris eſt aër, qui mortem excludere: nulla tam felix regio, quæ facere poſſit immortalem. Quod ſi bona quædam gaudiaque nonnunquam occurrunt, ſunt ea profectò tot caſibus obnoxia, tot malis, totque amaritudinibus permiſta, tot peccatis implicata, vt nulli, niſi ſtultiſſimo, ſecura eſſe videãtur. Et ſuper hæc omnia, quidquid tandem ſint, quantumcunque etiam plus aloës, quàm mellis, plus periculi, quàm ſecuritatis habentia nonnullos decipiant, ad extremum tamen cuncta bullæ, aut ſomnij inſtar deſinunt & euaneſcunt. In cœlo omnia ſecus habent. Ibi non modò morbi, aut peſtes nullæ graſſantur, neque dolores exiſtunt, aut lachrymæ exiliunt; ſed etiam, quæ in hac vita excuſſæ fuerunt, dulciſſimè VIII.

mè *absterguntur*; timores longissimè pelluntur, peccata à nullo committuntur; termini denique bonorum nesciuntur.

IX. *Speciosa facta es, & suauis in delicijs tuis mater Hierusalem,* ait S. Augustinus, *Nihil in te tale, quale hîc patimur: qualia in hac misera vita cernimus. Non sunt in te tenebræ, aut nox, aut quælibet diuersitas temporum.* Et alius vtramque inter se vitam comparans ait: *Norunt cœli ciues, quàm gaudiosa sit illa: gemunt exules filij Euæ, quòd amara & tædiosa sit ista. Dies huius temporis parui & mali, pleni doloribus & angustijs: vbi homo multis peccatis inquinatur, multis passionibus irretitur, multis timoribus stringitur, multis curis distenditur, multis curiositatibus distrahitur, multis vanitatibus implicatur, multis erroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus grauatur, delicijs eneruatur, egestate cruciatur. O quando finis horum malorum: quando liberabor à misera seruitute vitiorum; quando memorabor Domine tui solius? quando ad plenum lætabor in te? Quando ero sine omni impedimento in vera libertate, sine omni grauamine mentis & corporis? Quando erit pax solida, pax imperturbabilis & secura, pax intus & foris, pax ex omni parte firma? Iesu bone, quando*

S. Augustinus lib. Meditat. cap. 25.

Thom. de Kemp. lib. 3. de Imit. cap. 48.

stabo

ſtabo ad videndum te? quando contemplabor gloriam regni tui? quando eris mihi omnia in omnibus? O quando ero tecum in regno tuo, quod præparaſti dilectis tuis ab æterno? Relictus ſum pauper & exul in terra hoſtili, vbi bella quotidiana & infortunia maxima. Quæ vel hoc ipſo hîc ſunt relicta, vt illuc ad ſecuritatem aſpiremus. *Quia*, vt S. Bonauentura loquitur, ibi *liberi erimus ab omni iniuria, violentia, culpa & miſeria.* Hîc in exilio ſudamus, &, ſi ſapimus, ab Ægypti ſeruitute, ad libertatem anhelamus. Sic enim eſt, vt Auguſtinus canit: *S. Bonau. in Stim. cap. 20.* *S. Auguſtinus lib. Medit. cap. 26.*

Ad perennis vitæ fontem, mens ſitiuit arida.
Clauſtra carnis præſto frangi clauſa quærit anima.
Gliſcit, ambit, eluctatur exul frui patria.
Dum preſſuris ac ærumnis ſe gemit obnoxiam.
Quam amiſit, cum deliquit, contemplatur gloriam.
Præſens malum auget boni perditi memoriam.

X. Si Auguſtinus nimis ſanctus eſt, Egeſiſtratum Eleum imitemur, qui, vt de eo refert Plutarchus, à Lacedæmonijs captus, & in vincu- *Plutarch. in Laconic.*

vincula coniectus, rem fecit vniuersæ posteritati admirandam. Quippe ita captiuitatem oderat, itaque libertatis erat amans, vt, cum ferratis soleis vinctus esset, neque se compedibus aliter eximere posset, dimidiatum pedem absciderit, atque ita, destructo charissimo ambulationis instrumento, non tam è miserijs exierit, quàm euolârit. Abscindamus & nos *affectuum prauorum pedes*, & membra sociorum inutilium, quibus malè fulti in terris, in timoribus, in periculis, detinemur. *Expedit* enim nobis, *vt pereat vnum membrorum* nostrorum, *quàm totum corpus* nostrum *eat in gehennam*. Abscindemus autem haud illibenter, si *quantum in rebus inane* sit, quãtumque in dulcedine Mundi admixtum inueniatur fellis & aceti, perpendamus. Quam vel vnicam ob caussam meritò Deus fausta Mundi infaustis, dulcia amaris, iucunda tristibus permiscuisset. Vt enim grandescentem puerum mater à lacte & vberib., absinthio mammillis illito, abarcet, ita diuinum Numen multa tetra esse in hac vita permittit, ne dulcedine illius capiamur. Nunquam certiùs capimur, quàm cum rerum terrenarum amore in-arde-

Matth. 5. 30.

Persius Sat. 1.

ardeſcimus & colliqueſcimus. Nunquam ab hoc tam noxio amore & ardore citiùs liberamur, quàm ſi calor ille tam pernicioſus in nobis, affuſo rerum triſtium aceto, refrigeretur ac reſtinguatur. Vtriuſque rei ſimilitudinem in hiſtorijs bellicis legimus. Etenim *Athenocles oppugnatus, cum hoſtes teſtudinibus admotis quaſſarent mœnia, è mœnibus liquefactum plumbum æreis vaſis deſuper effundebat, quo teſtudo diſſoluta eſt. Hoſtes autem, cum teſtudine de turribus adductis acetum infundebant, plumbumq́ & quæcunque alia candentia de muris demitterentur, reſtinguebant, (etenim ad extinguendum ignem aptiſſimum eſſe acetum videtur: optimum verò impedimentum ignis inunctum acetum, minimè enim ignis in eo poteſt hærere) & ſpongia aqua plena appenſa.* In hunc modum & ignibus arcebant oppugnati, & ignes aceto arcebant oppugnantes. Nos in *regno cælorum*, quod *vim patitur*, oppugnando haud aliter citiùs reijcimur, quàm ſi Stygius Alaſtor liquefacto nos grauiſſimè prementis terreni amoris plumbo incendat. Sed ad plumbeum illum calorem reſtinguendum nihil tam aptum eſt, quàm calamitatum, & rerum aduerſarum, quæ

Polyan. lib. 6. Strateg.

XI.

plenis dolijs in hunc Mundum aduehuntur, acetum. Quod si quis deesse putat, cogitet quoties domi parentes, foris cognatos, immo amicos & inimicos, de innumeris casibus aduersis, audiuerit quiritantes. Ego vnico argumento ostendo, immo Deus ipse vel nunc quotidie ostendit, quantis vel vicinia, immo tota penè Bauaria, & Bauariæ adsita loca sint miserijs oppleta. Nam postquam per sanctos illos Oëttingenses ob fidem patria extorres denuo Deus cœpit miracula, & admiranda hominibus beneficia liberaliter exhibere, adeò vt nō solùm in templo, & ad cineres, ac ossa, sed etiam ad ipsum eorum fontem, quotidie ægri recipiant sanitatem: nonne per tot iam menses singulis diebus, immo horis vndique concurritur, vel ab ijs, qui ipsi morbo afficiuntur, vel ab ijs, qui morbidorum iussu eò mittuntur, vt aquam inde salutiferam afferant? Et quidem ita concurritur, vt qui rem oculis spectat, sicut nos spectauimus, & spectamus, nec satis mirari possit, tam modici fontis aquam tot hydrijs, lagenis dolijs implendis sufficere; nec satis capere, tot ægrotos in vna regione reperiri. In hac ergo lachrymarum valle

valle sumus: vbi tot morbi sunt. Hoc est terræ nostræ acetum.

§. IV. In cælo non esse tristitiam, aut dolorem; neque tristandi aut dolendi caussam.

XII. Sapienter dixit Salomon: *Musica in luctu importuna narratio.* Sicut enim famelico cibum quærenti importunus & molestus est longus fabulator, qui verbis vult pascere esurientem; ita prorsus odium pro præmio reportat, quicunque delicias facit, tempore luctuoso. Ea propter *L. Fuluius argentarius*, teste Plinio, *bello Punico secundo, cum corona rosacea interdiu è pergula sua in forum prospexisse dictus, ex auctoritate Senatus in carcerem adductus, non ante finem belli emissus est.* Non debebat scilicet tempore belli tam periculosi coronam gerere, & ante victoriam triumphare: nec decens erat, tunc inter rosas se iactare, cum Resp. inter tot plagas gemendi potiùs, quàm bibendi ludendique caussam haberet. Ad eundem modum *Insanum est*, inquit Clemens Alexandrinus, *nos qui Christum spinis coronatum audiuimus, quasi venerandis Domini cruciatibus illuderemus, redimiri floribus;* & quidem tum aliàs semper, tum verò ma- XIII.

Eccl. 22. 6.

Plin. l. 21. hist. Nat. cap. 3.

Clemens Alexan. Pæd. 11. cap. 8.

rò maximè inter pœnitentiæ & ſacroſan-
Rom. 12. 15. ctæ Paſſionis tempora. Si enim *gaudendũ eſt cum gaudentibus, flendum* erit etiam vtique *cum flentibus*, & cum Chriſto aut Chri-
XIV. ſtianis lugentibus lugendum. Quæ cum ita ſint, mirari quis meritò poſſet, cur Ecclesia, cùm aliàs ſæpe in ipſa triſtitia lætitiæ faciat mentionem, tum etiam in medio quadrageſimæ, & ipſo, vt ita dicam, lugendi meditullio, *Lætare* ſuũ inſtituat? Enimuerò etiam *roſas* tractet, cum foret de ſpinis Chriſti cogitandum. Siquidem ea ipſa Dominica die, vti videre eſt apud Iacobum Gretſerum, ſummus Pontifex Romæ ſolleni ritu *Roſam* benedicit. Verùm nihil adeò inſolens ea re facit Ecclesia, non enim vult nos hoc vel tempore, vel miſeriarum loco, à luctu abducere, ſed ad conſtanter lugendum etiam atque etiam animare. Quemadmodum enim præda militem, victoria ducem accendit ad fortiùs præliandum; ita ſpes lætitiæ in cœlo adipiſcendæ, incredibilem vim habet ad nos excitandos; vt luctus & ſquallores, & mœrores, & lachrymas, & triſtitias, & omnia mala, quæ in vita hac occurrunt, alacri lætoque animo ſuſtineamus. Hinc à cœleſti

Iacobus Gretſerus lib. 2. de Benedictionib.

illa

illa Hierusalem exulantes, & suspirantes Propheta consolaturus, inquit: *Venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt; & fugiet dolor & gemitus.* Longè aliter enim verus Deus remunerat sibi appropinquantes. Olim in prouerbio dicebatur, qui *procul à Ioue, procul à fulmine:* at nunc nemo magis procul est â fulmine, quâm qui non est procul à Ioue; vt sunt vel maximè beati. Audiamus igitur quantus nobis post hæc nubila Phœbus sit effulsurus, hoc est, quanta sit eorum lætitia, quanta securitas, quæ & *sempiterna* futura dicitur, & *dolore* ac *gemitu* omni caritura. *Isa. 35. 10.*

XV. Labyrinthus, de cuius securitate huc vsque disseruimus, in Ægypto fuit. Celebratur autem Ægyptus à perpetua cœli serenitate. Cum enim ad eam irrigandam Nilus quotannis fertilissimè inundans sufficiat, nullæ ibi nubes cœlum contrahunt; neque clarissimam solis lucem imber vllus obscurat. Pari modo in cœlo æternum quoddam serenum est. *Iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit:* neque opus est irrigatione lachrymarum. Ibi enim non Nili, sed felicioris *fluminis impetus* *Cant. 2. 11.* *Ps. 45. 5.*

lætificat ciuitatem, cum huc ad nos in terras vix quidam riuuli, immo vix quædam ſtillæ & guttę perueniant gaudiorum. Atque hic ipſe lætitiæ *impetus*, & gaudiorum magnitudo facit, vt ibi neque lachrymis ſit locus, neque triſtitiæ. Summo enim gaudio, quod per *fluminis impetum* ſignificatur, etiam minimum triſtitiæ repugnat: neque magis ſimul conſiſtere poſſunt, quàm lux & vmbra. Quare nec timor, qui ſolet eſſe triſtitiæ parens, nec dolor locum obtinet in cœleſti hoc ſolo. Timorem ibi non eſſe, ex ſe clarum eſt: Nam
1. Io. 4. 18. perfecta charitas ibi eſt; at *perfecta charitas foras mittit timorem*, tota ſcilicet in amando occupata. Quid autem, aut cur ſancti tri-
Pſal. 35. 9. ſtarentur? *Inebriabuntur ab vbertate domus*
Eccli. 40. 20. *tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ebrij non poſſunt eſſe triſtes: *vinum* quippe *lætificat cor hominis:* hinc clamant, hinc cãtant, hinc ſaltant ebrij, omnis mœroris & calamitatis obliti. Itaque vt & in cœlo clament, cantent, atque exultent; *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hic torrens voluptatis, hæc gaudiorum tanta vbertas, cum triſtitia minùs poteſt conſiſtere, quàm dies

cum

cum nocte, flamma cum aqua, mors cum vita. Vt enim dies noctem, sic lætitia fugat tristitiam. Quod Isaias non tacuit. *Venient*, inquit *in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt; & fugiet dolor & gemitus.* Itaque expellit ibi *gemitum* exultatio, & *dolorem* plenitudo voluptatis. Quid quod neque caussa timendi, aut dolendi ibi vlla inuenitur? Vera enim ibi securitas est. Etenim si *securitas est, incommoditates imminentes & rei inchoatæ fines non formidare*, vt vult M. Tullius, profectò ibi securitas perfecta erit; vbi incommoditates nullæ imminebunt, & lætitia inchoata finem nesciet: neque quidquam erit, quod possit quenquam contristare. Nam neque propria quisque, neque amicorum, neque Dei caussa poterit in tristitiam doloremúe cōijci; alterius autem rei caussa nullius solemus vel tristari, vel dolere. Sunt igitur extra omnem teli iactum: nec vulgari anchora nituntur, qui æterna Dei charitate nituntur. Est sánè ita, tristitia omnis ex amore ortum habet. Nisi enim amaretur bonum aliquod, non posset contrariū malum tristitiam generare. Quare tametsi

Isa.35.10.

XVI.

ſancti in cœlo & ſe, & alios, maximeque Deum incenſiſſimè amant, eiuſque honore vehementiſſimè delectantur, non poſſunt tamen, ob iniurias etiam atrociſſimas, quæ vel nunc in terris illi irrogantur, vel in inferno per deſperatiſſimas blaſphemias & immaniſſima ſcelera inferentur, dolere; quantumuis eas non ignorent. Siquidem nec illud ignorant, nullum crimen tam nefarium, nullum flagitium tam immane eſſe atque deſperatum, quod Deo nocere poſſit. Quin & iſtud quoque perſpectiſſimum eſt illis, licet externa Dei gloria hominum peccatis obſcurari videatur, tamen ex illis ipſis longè maius excellentiuſque bonum in eiuſdem nomen & honorem redundare. Eſt enim Deus ita ſapienter potens, & potenter ſapiens, vt poſſit ex malis ipſis bona elicere; facitque, vt ex offendentium malitia offenſi virtus eminentiſſimè illuſtretur. Nam cum in hac vita impios ſcelera omnia exercere, ad multos ſæpe annos, permittit, quos in primo peccato mille fulminibus perdere atque ad Orcum adigere poſſet, infinitæ benignitatis ac patientiæ ſuæ theſauros oſtēdit: cum autem eoſdem poſt hanc vitam

æter-

æternis ſupplicijs plectit, ſtatuit luculentiſſima iuſtitiæ ſuæ monumenta. Hac de cauſſa *Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Igitur malũ quod per peccata diuinæ gloriæ impingitur, adeò copioſè aliunde compenſatur, vt Diui cælites, quamuis Dei feruentiſſimè amantes, non poſſint propter illa triſtitiam ſentire. Immo potiùs cauſſa illis ſunt maioris gaudij, propter maiora bona ex malis illis prouenientia. Plus enim gloriæ accedit Deo, ex manifeſtatione bonitatis, patientiæ, iuſtitiæ; immo & miſericordiæ ſuæ, quàm deteratur & decedat per impiorum peccata. Nec fruſtra S. Paulus dixit, non ſolum *Deum*, cum vellet *oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam*, ſuſtinuiſſe *in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum*, ſed etiam adiecit, idipſum Deum feciſſe, *vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam*, hoc eſt, in ſanctos, quibus Dei miſericordia tanto erit amabilior, quanto videbunt Dei iuſtitiam in damnatis ſeueriorem. Immo id-

Rom. 9. 22.

XVII.

circo figulus ille diuinus quædam *vasa iræ* sustinet, vt ea postea confringens puniensque, *vasis misericordiæ ostendat diuitias gloriæ suæ*; quæ *vasa* illum proinde in omni æternitate non modò à misericordia, sed etiam à virtute iustitiæ dilaudabunt. A misericordia quidem; quia vt S. Augustinus scribit: *ea potentia scientiæ, quæ magna in eis erit, non solùm sua præterita, sed etiam damnatorum eos sempiterna miseria non latebit. Alioquin si se fuisse miseros nescituri sunt, quomodo, sicut ait Psalmus, Misericordias Domini in æternum cantabunt? Quo cantico in gloriam gratiæ Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit profectò illi iucundius ciuitati. Ibi perficietur: Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Quod erit ibi verè maximum Sabbathum, non habens vesperam.* Erit enim quies ab omni labore, & dolore. Et dolor ipse damnatorum eos delectabit: vt proinde & iustitiam diuinam laudent, eiusque se se laudibus sint oblectaturi. Sicut enim magni alicuius regis amici, aut milites ducem suum efflictim amantes, non dolent, sed potiùs eximiè gaudent & lætantur, si vident, aut à rege rebelles, aut à duce proditores, cum magna nouaque auctoritate,

S. Augustinus lib. 22. de Ciuit. c. 30.

Psal. 88.

Psal. 45.

& ex-

& exiſtimationis conſeruatione, plecti; neque tam rebellantium, vel proditorum iacturam æſtimant, quàm regis aut ducis amorem & honorem; ita ſancti in cœlo, quoniam flagrantiſſimo Dei amore tenentur, neque ignorant illum tantis tamque innumerabilibus alijs bonis abundare, vt reproborum amiſſio non modò, comparatione illorum, nihili facienda, ſed etiam in ſingularem iuſtiſſimi vindicis gloriam ſit ceſſura; tantùm abeſt, vt ex peccatorib. dolorem hauriant, vt etiam, cauſſas inueniant ſibi Deoque gratulandi. Hoc eſt, quod Dauid ait; *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Pſ. 57. 11.

XVIII. Quanquam autem ſancti illi cælites & dæmonum, & hominum flagitia maximo opere deteſtentur & oderint, eſt tamen illud odium, eaque deteſtatio ſine omni dolore & triſtitia in ipſis. Non enim neceſſe eſt hæc coniungi. Odit enim & Deus ſine dolore peccatores, & eorum crimina ſine triſtitia deteſtatur. Nullam quippe moleſtiam, nullam afflictionem ex conſideratione mali Deus concipit, nec filij Dei diuini ſtatus participes. Aduerſantur enim extremè mæror, aut animi afflictio,

fliĉtio, & beatitudo. Quare ſi nonnunquam in diuinis litteris Deo dolor, triſtitia, aut pœnitentia tribuitur, per metaphoram iſta ſunt intelligenda. Ex quibus manifeſtum eſt, beatos Dei cauſſa non poſſe triſtitiam pati: Sed velut intra ſuas præſepes conſtitutos, omnem à ſe ſe excludere mœrorem, atque ex ipſis etiam malis cauſ-
XIX. ſam ſumere lætandi. Sed neque amicorum, cõſanguineorum, vel ipſorum etiam parentum cauſſa illos dolore afficiet. Maius enim erit in cœlo vinculum amoris, quo Deo, quàm quo veteribus amicis cõſtringentur. Ibi pluris facient eum, à quo animam, quàm à quo corpus acceperunt; immo cuius prouidentia & ipſum corpus acceperunt, conſeruarunt, atque ad tantam gloriam prouexerunt. Plus ſiquidem eſt eſſe filium Dei adoptiuum, quam hominis naturalem; & maius momentum eſt in hæreditate æterna virtutis, quàm in tẽporanea carnis. Itaque apud Diuos halcedonia ſunt etiam ex hac parte. In ſuo regno ſunt, non in regno affectuum prauo-
XX. rum. Eſt ſanè aliqua in Beatis erga propinquos & parentes amicoſque affectio peculiaris, qua illorum ſalutẽ ſitiunt pro-

mo-

mouentque: verùm ſi eos exorbitare animaduertant, Deumque offendere, hoſtiũ & inimicorum loco habent, atque ſupplicijs vel ipſi dignos iudicant; & vbi de eorum ſalute deſperatum eſt, ipſi vindictam exigunt, vt & iuſtitiæ ſatisfiat, & Dei honor ſartus tectus conſeruetur: ſpectant igitur interitus ſuorum, ſiccis oculis: &, velut è terra, ſecuri naufragia perire volentium intuentur. Cur enim in cœlo iuſtitiæ non ſint amantiores, quàm quidam etiam Ethnici in terris? quibus longè maior legum, quàm fratrum parentumque amor fuit. Romulus tranſgreſſorem fratrẽ è medio ſuſtulit: tantùm abeſt vt eum funus fraternum luctu affecerit; etiam gauiſus eſt, primum ſe iuſtitiæ exemplum in tam coniuncto ſanguine edidiſſe. *Par Romulo gloria L. Brutus, quia ille vrbem, hic libertatem Romanam condidit: filios ſuos, Tarquinij dominationem à ſe expulſam reducentes, ſummum imperium obtinens, comprehenſos, proq; tribunali virgis cæſos, & ad palum religatos ſecuri percuti iuſſit. Exuit patrem, vt conſulem ageret: orbuſq; viuere, quàm publicæ vindictæ deeſſe maluit.* Malunt ergo & ſancti in cœlo vel filios, vel parentes ſuos, in Deum

Val. Max. lib. 5. c. 8. Liu. lib. 2. Dionyſ. 5.

Deum reos pertinaceſque aſpicere æternis ignibus addictos, quàm vt diuinæ iuſtitiæ honor obſcuretur. Exuunt patrem, deponunt filium, vt Dei amicum agant. Sic & Caſſius filium verberibus affectum necari iuſſit: & T. Manlius Torquatus ex ſe natum Silanum & Rep. & domo ſua indignum iudicauit. Idem fecit M. Scaurus, & A. Fuluius vir ſenatorij ordinis, qui euntem in aciem filium retraxit. *Namq́ue iuuenem & ingenio, & litteris, & forma inter æquales nitentem, prauo conſilio amicitiam Catilinæ ſecutum, inq́ue caſtra eius temerario impetu ruentem, medio itinere abſtractum, ſupplicio mortis affecit: præfatus non ſe Catilinæ illum aduerſus patriam, ſed patriæ aduerſus Catilinam genuiſſe.*

Liu. lib. 2. Dionyſ. lib. 8. Liu. l. 54. Cic. de finibus 1. Auctor de viris illuſtrib. cap. 72. Front. lib. 4. c. 1. Val. Max. lib. 5. c. 8. Saluſt. in Catilin. Dio. 37.

XXI. Cur non & Diui cælites amore tam ardenti beatæ ſuæ patriæ tenerentur, & eos, quos gloriæ diuinæ tuendæ propagandæque cauſſa genitos ſciunt, contra eandem pugnantes gaudeant ſupplicijs caſtigari? vt in eis iuſtitia diuina reſplendeat, qui diuinam miſericordiam contumelioſè repudiauerunt? Nam prorſus eſt, quod vates dixit: *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam, lauabit manus ſuas in ſanguine peccatoris.* Si enim Martius ille animus

Pſ. 57. 11.

mus crudelitate eò progreſſus eſt, vt, conſpecto humani ſanguinis velùti lacu aliquo, *ô formoſum ſpectaculum!* exclamaret: cur non ſanctos diuini amoris ardentiſſimus zelus eò proueheret, vt iuſtiſſima Numinis ſententia punitos ſacrilegos & conſceleratos non modò ſine dolore, ſed etiam cum delectatione intueantur? Itaque neque pater in cœlo triſtitiam perſentiſcet, ſi conſpexerit filium in Acherunte ardentem: neque filius, ſi in illis tormentis conſpexerit patrem. Immo iudici ipſi aſtabit pater, & cum eo in filiũ, aut filius in patrem ſententiã damnationis pronunciabit; ac tormenta illiꝰ, quantũuis immania atque æterna, lubenti calculo approbabit.

Sed ſatis eſt oſtenſum, ſanctos in cœlo neque amicorum cauſſa poſſe affligi. Denique etiam à ſe in tranquillo eſſe, neque propria cauſſa poſſe mœrorem capere, illud docet, quòd nihil illis queat mali accidere. Sunt enim infinitis bonis vndique circumuallati. Et tantis voluptatibus inundantur, vt ſi vel maximè ibi aliquid triſte eſſet, quod eſſe non poteſt, illud non aduerterent aliunde abſorbti. Nam vt, Philoſophus dixit, *Voluptas dolorem propulſat* XXII.

Ariſt. 7. Ethic. c. vlt.

ſat & eijcit, tum ea quæ contraria eſt, tum quælibet alia, ſi valida ſit & vehemens. Valida autem erit ac vehemens beatorum voluptas, vt quæ etiam illam excedet, quam ſumus ex propria felicitate capturi. Nam in cœlo *plus, ſine comparatione, gaudebimus de immenſitate diuinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis*, ait S. Bonauentura, *quàm de felicitate noſtra. Et quia iſtud eſt exceſſiuum, ſic abſorbebimur gaudio de felicitate diuina, & intrabimus in gaudium domini, intus & foris vndique abſorbti, & circumdati gaudio exceſſiuo. Nec mirum, quia plus ſine comparatione nos diligit Deus, quàm noſipſi nos, & ideò ſine comparatione plus dabit nobis gaudij & lætitiæ, quàm ſciremus, aut poſſumus petere, vel appetere. Sic ergo abundabimus, & ſuperabundabimus gaudio: quia diligentes, & quia dilecti.* Hæc ergo ſuperabundantia gaudij non admittet dolorem: ſicut vas melle repletum, & ſupereffluens, non poteſt locum dare humoribus amaris. Nimirum vbi omnia plena ſunt bonis, omnia vacua ſunt malis. Refert Ælianus Melanuros, cum placidum & quietum eſt mare, ad imam maris ſedem in petris, aut algis tutos quieſcere, tegumentoque protegi, quocunque corpus occul-

S. Bonau. in Stimulo diuin. Amor. cap. 20.

Ælian. lib. 1. de animal. cap. 41.

occultari poteſt. At verò cum ventis inſanientibus aduerſa tempeſtas procellas agitat,& vaſtos ad littora fluctus volutans, longè reſonante vnda,rupes tundit;piſceſque ceteri trepidatione & formidine territi ex fluctuum impetu in altum deſcendunt, tum Melanuri noua fiducia implentur. Siquidem de quiete ſua prodeunt, neque tantùm inter procellarum luctas tuti natant, ſed etiam ad ipſum littus appropinquant atque ad ipſas petras & extrema maris accedunt. Miro enim naturæ inſtinctu pernoſcunt, quo die, nocteúe maris feritas & immanitas efferueſcit,à piſcatoribus non adiri mare. Sic & cum tranquillum, & cum turbulentum eſt pelagus, ſemper ſecuritate perfruuntur. Eſt hæc haud obſcura beatorum figura; qui etiam gaudent in aduerſis, ne dum vt in ſecundis metuant. Nihil illis quies nocet, quia nunquam ſunt otioſi. Nihil officit quidquid in his terris,& in toto mundo turbatur; ſemper enim ſciunt ſe & à vi, & à fraude,& ab omni genere inſidiarum immunes. Immo in eo torrente voluptatis toti natant, quem nulli poſſunt vnquam venti agitare, nullæ hoſtiles manus infe-

XXIII. ſtant. Quid multa? *Vera pax ibi eſt*, ait S. Auguſtinus, *vbi nihil aduerſi, nec à ſeipſo, nec ab alio quiſquam patietur.* Et paulo poſt: *Atque id etiam beata ciuitas illa magnum in ſe bonum videbit, quod nulli ſuperiori vllus inferior inuidebit; ſicut nunc non inuident archangelis angeli ceteri: tanquam vellet eſſe vnuſquiſque quod non accepit; quamuis ſit pacatiſſimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obſtrictus: quemadmodum nec in corpore vult oculus eſſe, qui eſt digitus, cum membrum vtrumq; contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, vt hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.* Non igitur dolebit. Immo ex quo alij dolent & inuident, ex eo ipſo lætitiæ cauſſam, eodem S. Patre teſte, eſt habiturus.

S. Auguſtinus lib. 22. de ciu. cap. 30.

Idem lib. Meditat. cap. 26.

Nam & pectoris arcana penetrant alterutrũ.
Vnum volunt, vnum nolunt, vnitas eſt mẽtium.
Licet cuiq; ſit diuerſum pro labore meritum.
Charitas hæc ſuum facit, dum quiſque amat alterum.
Proprium ſic ſingulorum commune fit omnium.

Tantum itaque abeſt, vt vel alij alijs, vel ſibi ipſis ſint ibi moleſtiam creaturi, aut

motum

motum liuoris iniecturi; vt potiùs etiam ipſo iure *amicorum*, quorum *omnia ſunt communia*, quidquid ipſi ſunt poſſeſſuri, id etiam futurum ſit ceterorum. Quid multa? ad aram confugerunt, lætitiæ, charitatis, incolumitatis. Si enim S. Rembertus Bremenſis Antiſtes, cum victoriam contra Nortmannos precibus ſuis, velut nouus Moſes, impetraret, id effecit, vt deinceps locus ille, in quo preces fuderat, ſemper vernaret ceſpite virenti lætus; cur in cœlo hanc ſemper vernantem viriditatem, omni hyemis triſtitia ac niue excluſa, non effeciſſet Chriſtus? *qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam* ibi *interpellat pro nobis*, vt hîc hoſtes noſtros ſtrenuè vincamus. Erit ergo ea in cœlo ſecuritas, vt neque nix, neque hyems, neque triſtitia, *neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor*, neque vlla iſtarum miſeriarum cauſſa illuc poſſit penetrare. *O vita vitalis, vita ſempiterna, & ſempiternè beata! Vbi gaudium ſine mærore, requies ſine labore, dignitas ſine tremore, opes ſine amiſſione, ſanitas ſine languore, abundantia ſine defectione, vita ſine morte, perpetuitas ſine corruptione, beatitudo ſine calamitate, vbi omnia bona in charitate perfecta.* Et vtique ibi perfecta eſt

Surius. 4. Februar.

Rō. 8. 34.

S. Auguſtinus Manual, cap. 7.


charitas, vbi Deus ita diligitur, vt non possit offendi: vtique summa securitas, vbi ne periculum quidem est periclitandi. Neque enim in vado, sed in portu sunt sancti, quorum lætitia, si quis vult perfrui, nequaquam debet, quidquid est in hac vita triste & horridum, declinare. Melle fel alitur: & dulcia rebus amaris comparantur. Dies lætitiæ sequentur, si dies pœnitentiæ
Ps. 125. 6. præcesserint. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Qui autem nunc intempestiuè exultant, serò nimis lachrymas seminabunt.

Caput VIII.

LABYRINTHI MVNITIONIBVS COELVM ETIAM IN HOC PRAESTARE, QVOD NIHIL IBI PECCETUR.

§. I. *Beati in cœlo à peccatis, sicut quidam in nonnullis terris à veneno, immunes celebrantur.*

I.



Ingulare in Christo etiam illud fuit, quòd vel ipsis suis aduersarijs fidenter dicere auderet:
[..]o. 8. 46. *Quis ex vobis arguit me de peccato?* *Arguere* geminum habet sensum; nam & *accusare* significat, & *conuincere.* Non igitur, cum Christus dicit, *Quis ex vobis arguit me de* *pec-*

peccato, sensus est, *Quis accusat?* Nam sanè Christum & de *blasphemia*, & de *seditione*, & de multis alijs rebus accusauerunt; sed falsò. Non enim conuincebant. Sed neque conuincere poterant. Quo proinde sensu meritò dixit: *Quis ex vobis arguit me de peccato?* Nam multis ille titulis peccati incapax fuit. Fuit enim Deus, cui peccare non magis conuenit, quàm non esse Deũ. Fuit etiam filius Dei, cui vel hoc titulo debebatur protectio contra omne peccatum. Fuit denique beatus; at cum beatitudine summo bono, nequit peccatum summum malum consistere. Rectè ergo dixit: *Quis ex vobis arguit me de peccato?* Quoniam autem & homines in beatitudine constituti, veluti *Dij* quidam, efficiũtur; quibus tanquam filijs Dei ad hæreditatem iam admissis summa illa protectio contra peccatum debetur, dicam nunc, quo pacto etiam ceteri beati in cœlo sint à peccato immunes. Inter maxima enim bona Beatorum, numerandum est & illud, quòd non modo à miserijs omnibus securi sint, sed etiam à peccato, quod est caussa omnium miseriarum. Ita enim Deus cœlum muniuit, vt illuc pec- II.

cato nulli sit accedendi facultas. Celebrantur, qui in Marsis nati sunt, alijque nonnulli, quòd à veneno sint immunes; quantò æquius est sanctos celebrare, qui à peccato sunt immunes, dirissimo omnium venenorum? Sed Plinium audiamus. *Crates Pergamenus, in Hellesponto circa Parium, genus hominum fuisse tradit, quos Ophiogenes vocat, serpentum ictus contactu leuare solitos, & manu imposita venena extrahere corpori. Varro etiam nunc esse paucos ibi, quorum saliuæ contra ictus serpentum medeantur. Similis & in Africa gens Psyllorum fuit, vt Agatharchides scribit, à Psyllo rege dicta, cuius sepulchrum in parte Syrtium maiorum est. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, vt cuius odore sopirent eas. Mos verò liberos genitos protinus obijciendi sæuissimis earum, eoq; genere pudicitiam coniugum experiendi, non profugientibus adulterino sanguine serpentibus.* Hæc Plinius; qui idem postea de *Marsis* subiungit, additque tandem, *omnibus hominibus contra serpentes inesse venenum, feruntq;*, inquit, *ictas saliua, vt feruentis aquæ contactum fugere. Quod si in fauces penetrauerit, etiam mori: idq; maximè humani ieiuni oris.* Non eadem vis con-

Plin. lib. 7. Nat. hist. cap. 2.

Varro lib. 1. rer. humanar. Vide & Celsum lib. 5. c. 27.

contra peccati venenum, & *antiquum* illum *serpentem* omnibus inest. Sed præcipuè degeneres illi filij in inferno & à verme conscientiæ, & à peccati dente mordebuntur, & à *ruffo* illo *sanguineoq́ dracone* lacerabuntur, saluis interea omnibus in cœlo existentibus. Quia nemo illuc pedem inferet, nisi legitima hæreditate dignus. Itaque vel saliua sanctorum, erit amuletum peccatorum, quæ etiam in hac vita despuentes, securitatem illam meruerunt. Quis igitur eos supra *Ophiogenes*, *Marsos*, *Psyllosq́* non euehat? Immo supra omnes alios, quos vel innocentia, vel status, vel virtus à venenis exemit. Erat aliqua Paradisi felicitas, quòd Adamum & Euam innocentia in dominio omnium bestiarum collocaret; ita vt à nullo angue lædi, à nulla bellua possent inuadi & sauciari. *Vipera* quoque, vt ait Oecumenius, *cum in manum Apostoli dentes iniecisset, & nullam peccati in ea mollitiem & laxitatem inuenisset, statim* (ab eo excussa) *resiliyt, & in ignem se se proiecit, quasi pœnam de se exegerit, quod nihil ad se pertinens corpus inuasisset. Nos verò bestias timemus, propterea, quòd armatura virtutis muniti minimè sumus.* Quas

III.

Act.28.5.

proinde neque Antonius, neque Macarius, neque Franciſcus, neque hoc noſtro ſeculo Ioſephus Anchieta timuit. Atque, vt Tertullianus ſcribit; *hoc modo etiam Ethnicis ſæpe ſubuenimus, donati à Deo ea poteſtate, quam Apoſtolus dedicauit, cum morſum viperæ ſpreuit.* Nimirum impletur illud, quod Deo adhærentib. & fidentibus eſt promiſſum: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem:* immo quod ipſe Chriſtus promiſit: *Serpentes tollent, & ſi mortiferũ quid biberint, nõ eis nocebit.* Quantò magis in cœlo erit hæc immunitas?

Tertull. in Scorpiac. c. 1. *Pſ. 90. 13.* *Marci 16. 18.*

IV. Si Sardiniæ, vt Solinus tradit, ſi Hiberniæ, vt teſtatur Beda, ea vis ineſt, vt quidquid venenatum, vel ibi naſcitur, vel illuc infertur, nocere non poſſit; cur Deus *terra viuentium*, non conceſſerit hanc poteſtatem in venenum ſpirituale? Certè ex quo tempore S. Paulus in Melita viperam excuſſit, ſcribit Thomas Fazellus, inſulæ illi diuinitus contigiſſe, vt in ea ſerpentes, & omne anguium genus veneno & viribus nocendi deſtituantur. Immo ipſa nunc Melitenſis gleba antidotum eſt contra venena. Quis non videat longè conuenientius eſſe, vt Chriſtus cœlo promeruerit eãdem

Solin. cap. 35. Beda lib. 1. Hiſt. Angl. c. 1. *Thomas Fazell. de reb. Sicul. Decad. 1. lib. 1. c. 1.*

dem contra peccata potestatem? De S. Phoca martyre legimus: *Qualiter de antiquo illo serpente triumphauerit, hodie quoque populis eo miraculo declaratur: quòd si quispiam à serpente morsus fuerit, vt ianuam basilicæ martyris credens attigerit, confestim, euacuata virtute veneni, sanatur.* Legimus igitur & de Christo Seruatore antiqui illius serpentis præcipuo triumphatore, eum longè maiorem contra peccati tabificos morsus virtutem obtinuisse. Si enim *æneus serpens*, qui imago duntaxat fuit Christi, eam vim habuit, vt *ignitorum* anguium vulnera persanaret, quid non ipsi Christo concessum esse putemus? An non, quotquot eius in cœlo domum, immo ianuam attingent, *euacuata virtute veneni*, superatoque peccandi periculo, in innocentia morum, amicitiaq; Numinis inuiolata annabunt, perennabunt?

In Martyrolog. Rom. die 5. Martij.

Num. 21. 9. Io. 3. 14.

§. II. *Scripturæ sacræ, & SS. Patres testantur, Beatos à peccato esse securos.*

V. Quæ res variè in diuinis litteris est indicata. Nam inter illa cælestium bona, quæ duodecim fundamentis lapide precioso constantibus significantur, *fundamentum* pri-

Apoc. 21. 19.

primum iaſpis eſt, immo & tota muri ſtructio eſt *ex lapide iaſpide.* Cuius præter ceteras multas virtutes ab Anſelmo Boëtio recenſitas, etiam illa ab Alberto Magno nominatur, *quòd fluxum ſanguinis ſiſtat, & menſtrua feminarum. Sanguis* in ſcriptura peccati eſt ſymbolum, & ſæpe idem eſt *ſanguis*, quod peccatum. *Manus veſtræ, ſanguine plenæ ſunt*, ait Iſaias. Et Dauid: *De viris ſanguinum ſalua me:* Ac iterum: *Libera me de ſanguinibus Deus*; hoc eſt, de peccatis; quæ vel ob immunditiam ſuam *ſanguis* appellantur, maculant enim eos, qui peccant; vel quia *ſanguine* Chriſti fuerunt redimenda. Certè propheta ait: *Et facti ſumus, vt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.* Nam quaſi mulieri morbus menſtruus, ita peccatum homini corrupto, quodammodo in hac vita eſt agnatum, & ex illo, tanquam immunditia maxima fluit. Hunc ergo fluxum ſanguinis, ſiſtet *iaſpis* beatitudinis. Ibi extra peccati aleam degemus.

Anſelm. Boet. l. 2. de gem. cap. 102. — *Iſa. 1. 15.* — *Pſ. 58. 3.* — *Pſ. 50. 16.* — *Iſa. 64. 6.*

VI. Quod longè clariùs indicat Apoſtolus alio loco, vbi ait: *Non intrabit in eam quidquam coinquinatum.* Quid inquinatius eſt peccato? neque *pannus* quidem *menſtruatæ.*

Apoc. 21. 27.

ta. Non intrabit igitur in illam ciuitatem peccatum. Quod etiam eo titulo esse inde eliminatum intelligitur, quia ibi *Omne maledictum non erit amplius.* Si nullum ibi erit *maledictum,* quomodo erit peccatum? cui maledixit dominus, quodq; & ipsum omnem inducit maledictionem. Igitur Christus *regenerauit nos in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cælis.* Quæ hæreditas si est *incontaminata*, profectò nihil secum peccati, nihil inquinationis patietur. Estque in hac re par ratio hominum & Angelorum. De his autem Fulgentius ait: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabili factam; nec tamen posse quemlibet sanctorum Angelorum in deterius mutari: quia sic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo stabiliter fruuntur, vt ea carere non possint.* Carerent autem, si peccarent, tantò igitur magis beati, quantò magis à peccato tuti remotique erunt. *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt,* ait S. Augustinus, *quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi*

Apoc. 22.

1. Pet. 1.

VII.

Fulgent. de fide ad Petrum.

S. August. lib. 22. de Ciuit. Dei c. 30.

candi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primùm creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem nouissimum eò potentius erit, quò peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ. Aliud est enim, esse Deum: aliud, participem Dei. Deus natura peccare non potest, particeps verò Dei ab illo accipit, vt peccare non possit. Seruandi autem gradus erant diuini muneris, vt primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo: nouissimum quo peccare non posset; atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccauit ista natura, cum peccare potuit, largiore gratia liberatur, vt ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non possit. Sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, nouissima erit, non posse mori: ita primum liberum arbitrium, posse non peccare: nouissimum, non posse peccare. Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis & æquitatis, quomodo est felicitatis. Nam vtique peccando nec pietatem nec felicitatem tenuimus, voluntatem verò felicitatis, nec perdita felicitate, perdidimus. Certè Deus ipse nunquid quia peccare non potest;

test; ideò liberum arbitrium habere negandus est? Erit ergo illius ciuitatis, & vna in omnibus, & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum iucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum, nec tamen adeò suæ libertatis oblita, vt liberatori suo non sit grata. Hæc Augustinus.

§. III. *Caussæ ob quas beati à peccandi periculo securi redduntur.*

Atque si caussas huius à peccato immunitatis penitiùs indagare velimus, offerent eæ se se ex dictis haud difficulter. Prima enim est voluntas Dei, cupientis suos amicos etiam in hac re sibi similes esse, vt quemadmodum ille natura sua hoc habet, vt peccare non possit, ita illi munere Dei id accipiant, vt ex S. Augustino vidimus. Altera caussa est ipsa beatitudo, quæ nequit cum tam grandi malo consistere. Summum bonum & summum malum minùs in vna sede possunt morari, quàm *hircus & ceruus in vna natura.* Ex quo & tertia caussa consurgit. Vera enim beatitudo talis esse debet, vt non possit amitti: quisquis autem peccat, beatitudine excidit. VIII.

dit. Non poteſt igitur eidem & beatitudo & peccatum conuenire, quæ ſe mutuò deſtruunt ac demoliuntur. Quarta cauſſa itidem à S. Auguſtino indicata eſt, *quia peccata* Sanctos *delectare non poterunt*. Itaque liberum arbitrium *magis erit liberum, à delectatione peccandi, vſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum*.

S. Auguſtin. ibid.

IX. Sed vndenam hoc ipſum proueniat, vt liberum ſanctorum arbitrium, *indeclinabilem non peccandi delectationem* habeat, inter Doctores non omnino conuenit. Alij enim arbitrantur id fieri, non ex vi viſionis beatæ, quæ voluntatem ita ſatiet alligetque, vt peccare non poſſit; ſed exiſtimant liberum arbitrium à peccando aliunde impediri, amore ſcilicet quodam actuali, quem ſanctis Deus infundat peccato repugnantem. Siquidem repugnantia ſunt, perfectè Deum actu aliquo amare, & ſimul eundem actu peccati offendere. Sed quoniam hæc ſententia falſo inædificata eſt fundamento, plerumq; à Theologis deſeritur. Cenſet enim viſionem Dei amoremque non eſſe actum à ſanctis elicitum, ſed à Deo extrinſecus infuſum: quaſi alioqui periculum eſſet, ne aliquando nauſeabundi vellent

Occam. in 1 d. 1 q. 1. Arimin. in 2. d. 7. q 2. a. 2. Gabriel. in 1. d. 1. q. 2.

lent à visione, aut amore desistere; aut quasi diuinæ maiestati non suppeteret ratio ita beatos afficiendi & trahendi, vt ad visionem diuinam, amoremque eliciendum astringantur. Quapropter multò alij propiùs caussam rimantur, qui aiunt, *sanctos idcirco à potestate peccandi esse liberatos, quia ea vis est diuinæ visionis, vt voluntatem determinet, ad Numen, quantum fieri potest, perfectissimè super omnia diligendum. Proponit enim illi summum bonum, ostenditque infinito esse amore dignum, omnisque boni plenitudinem in eo eminentissimè contineri; atque ita efficit, vt nulla possit ei occurrere ratio, cur velit summum illud bonum non amare, aut ab eo amando desistere. Ex vi igitur diuinæ visionis voluntas necessariò Deum amat, & quidem modo perfectissimo. Cum quo modo actuque amoris nullum potest peccatum consistere, tollunt enim se mutuò, eundem simul amare & offendere. Et quem perfectissimo amore complectimur, ei in rebus omnibus cupimus atque conamur placere, & quidquid eum lædere potest, omnibus studiis deuitamus.* Si ergo ipsa Dei visio facit, vt Deum summè amemus, facit etiam pariter, vt Deum videntes, offendere peccando nec velimus, nec valeamus. Cur

X.

S. Thomas 1. 2. q. 4. a. 4. Caiet. ibid. Durand. in 2. d. 7. q. 1. Richard. in 2. d. 7. & alij.

Cur enim vellet quis, in cœlo omnia perſpicaciſſimè ſciens, aliquid, quod Deus non vellet? An vlla illicita voluptas, aut honor diuinæ voluntati aduerſus mentem poterit allicere? At nouit illa ſe infinitis modis maiorem in Deo voluptatem, ampliores ſque honores habere, in quo omnia eminentiſſimè continentur. Cur igitur à tanto bono ſciens videnſque ſe auelleret, atque ad tantillum bonum tam ſtolida mutatione tranſiret deficeretque? immo non iam ad bonum, ſed ad ſummum malum; etenim ſciret illud Deo diſplicere, & beatitudini ſuæ è diametro aduerſari; non inueniret ergo cauſſam & illud ſummum bonum deſerendi, & iſtud in comparatione illius, nullius momenti bonum, immò, quia tanto bono repugnat, verè malũ appetendi.
XI. Accedit ad hæc, voluntatem ita eſſe conſtitutam, vt quantò illi grandius ab intellectu bonum perſpicuè oſtenditur, tanto vehementiùs illi inhiet, & quidem ſæpè adeò potenter, vt homo quaſi extra ſe poſitus, non ſit ſui ampliùs compos, neque vllum amoris frænum patiatur, toto impetu in rem eiuſcemodi ruens. Quid igitur beatis eueniet, quibus ſummum

mum & infinitum bonum clarissimè exhibebitur intuendum? An poterunt adhuc voluntatem sistere, & suspendere, vel omnino auertere, vt non plenissimo affectu in illum omnis boni thesaurum feratur? Libera sanè illis erit & perfecta voluntas; sed si infinitum illud diuinum bonum, ipsam quoque Dei voluntatem, quæ vtique & liberrima & perfectissima est, tam potenter potest trahere, vt illud ipsum infinitum bonum necessariò amet, & quidquid extra illud amat, propter illud amet; cur non & hominis voluntatem ad tam dulcem & optatam adigeret necessitatem? Si *amor omnia vincit*, nihilque est eo fortius, cur potentior sit voluntatis libertas? aut cur ea, vtique res creata & limitata, potentiùs posset resistere, quàm diuina & infinita bonitas allicere? Absorbentur igitur sancti, & toti visione immensi boni ita satiantur, vt non possint quidquam amare nisi Deum, aut quod ad Dei voluntatem gloriamque ordinatur. Atque in hoc à viatoribus, hoc est, ijs, qui adhuc in mortali hac vita degunt, differre solent. Nam cum etiam in hac vita homines singulari Dei custodia auxilioq; , partim ad bonum inci-

incitante, partim à malo absterrente, ac concursum ad peccandum subtrahente, eò prouehi nonnunquam solent, vt peccare non possint, quod nonnullis in gratia confirmatis euenisse aiunt: sancti tamen in cœlo ad eam impeccabilitatem perueniunt, ex abundantia charitatis: *quam*, teste S. Augustino, *accipient in præmium perseuerantiæ, per quam fiet, vt cadere ampliùs omnino non possint.* Quam impeccabilitatis caussam etiam in Angelis B. Isidorus assignat, dum scribit: *Angeli, licet sint natura sua mutabiles, non sinit tamen eos contemplatio mutari diuina.* Igitur in illa cōtemplatione

S. Augu. l. de corrept. & gratia cap. 10. B. Isidor. lib. 1. sentent. c. 12.

---- Sancti, quiq; velut Sol præclarus rutilāt,
Post triumphū coronati mutuò coniubilant,
Et prostrati pugnas hostis iam securi numerant.
Omni labe defæcati, carnis bella nesciunt,
Caro facta spiritalis, & mens vnū sentiunt.
Pace multa perfruentes, scandala non perferunt.
Mutabilibus exuti repetunt originem,
Et præsentē veritatis contemplantur speciē.
Hinc vitalem viui fontis hauriunt dulcedinem.
Inde statum semper ijdem exeuntes capiunt.

S. Augu. lib. Medit. c. 26.

§. IV.

§. IV. *Quantum sit bonum à peccato esse immunem?*

Faceſſat igitur ab ipſis diuinis litteris damnata illa Origenis opinio, *beatos à peccato immunes non eſſe, & vel ipſos Angelos custodes in iudicium adducendos, vt illo diuino conſtet examine vtrum ſua deſidia peccauerint homines, an monitorum cuſtodumq; negligentia?* Longè ſancti in cœlo ſunt feliciores, quàm vt ſua excidere poſſint felicitate. Eſtque hæc ipſa vitæ iſtius non minima infelicitas, quòd in ea peccare poſſimus. XII. *Origen. hom. 24. & hom. 20. in Nũ.*

Quamobrém nimiò cedit huic beatorum ſedi in hac quoq; re *Labyrinthi* fama. Quanquam enim ille potiſſimùm exædificatus eſt in ſecuritatem regum ſuorum; quanquam moles compoſitiſſimas habuit, quas nec ſecula, nec Heracleopolitæ inſectantes diſſoluere potuerunt; quanquam vaſtas domos, amplas regiones, munitas præfecturas, muros inexpugnabiles, ambages inexplicabiles, cuniculos ineuitabiles; inobſeruabiles cryptas, inextricabiles vias complexus eſt, *vt nemo peregrinus ingredi aulam vllam poſſet, nec egredi ſine duce:* tamen illuc etiam & propriorum famulorũ machinationes, & domeſti- XIII. *Plin. l. 36. Nat. hiſt. cap. 13. Strabo de ſitu orb. lib. 17.*

mesticorũ (amicorúmne dicam an inimicorum?) insidiæ, denique cædes & mortes
Herodot. lib. 2. penetrauerunt: & inuentus est, *qui in templo Vulcani ærea phiala libauit*, disiunxitque eos, qui *iunctis inter se affinitatibus regnabant, pactionibus initis, ne mutuò auferre imperium conarẽtur, neúe quis plus alio quippiam obtinere quæreret, sed vt essent inter se quàm amicissimi.* Scilicet nulla tam est in terris munita ciuitas, in quam non possit culpa peruadere; nullus tam custoditus locus, in quem non valeant fraudes irrepere:

Horat. l. 1. epist. 2.

Seditione, dolis, scelere atq; libidine, & ira,
Iliacos intra muros peccatur & extra.

XIV. Sola beatorum patria, hanc miseriam excludit; sola terra viuentium lethiferum serpentem non admittit. Quidam postquam anguium corcula in puluerem comminuta glutiuerunt, à dente, à vulnere, à veneno, ab omni timore viperarum & omnium virulentarum bestiarum sunt securi; ita tamen, vt cum ipsa medicina pallorem tabemque bibisse videantur. At sancti in cœlo, postquam de Ambrosia, de nectare, de *ligno vitæ* gustauerunt, ad nullas deinceps insidias expallescunt, nullum peccatum, nullum lethum animæ formidant.

dant. Quæ immunitas securitasq; quàm sit preciosa, vel inde æstimare licet, quòd viri sanctissimi inter summa supplicia aut mala, reputârint peccata, quæ apud Inferos perpetrantur. Ita enim in S. Ignatij nostri vita legimus. *Subierat fortè reputare, ecquis sibi sensus foret, si quà infernis ignibus addiceretur. Iuuat autem in hanc rem, ea exscribere, quæ in membrana ipsemet subnotârat. Duabus, inquit, rebus defixus hærebam: altera quæ ibi supplicia mihi forent luenda: altera quibus inibi Dei nomen conuitijs peteretur. Ac priori quidem nihilo moueri me, neque terreri sentiebam: ceterùm, audire illas diuinissimi Numinis iniurias, id demum magno me opere sauciabat. E quibus verbis haud obscurum est arbitrari, quanto amore arserit, qui pœnarum inter pœnas oblitus, solius Dei iniuria percellebatur.* Hoc eodem amore cum omnes Diui in cœlo æstuent, non erit vtique inter minima eorum gaudia, quemadmodum, nec inter minima eorum bona, quod nullæ inibi diuino Numini iniuriæ irrogentur. S. Anselmus certè etiam in hoc mortali corpore à peccato tantopere abhorruit, vt dicere non dubitârit; si hinc vel in infernum insiliendum esset, vel inde in

XV.

Iacob. Biderm. de Virtutib. S. Ignatij in eius Vita nũ. 154.

peccatum mihi consentiendum, mallem in infernum insilire, quàm in peccatum consentire. Immo plus dixit. Nam verba eius hæc sunt: *Mallem purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cælorum regna tenere.* Sancti quoque Chrysostomi sæpius iterata sententia est: *Ego semper dicam, acerbius esse Deum peccatis offendere, quàm gehennæ cruciatu vexari.* Si ergo sancti *malunt mori, quàm fædari,* immò si inter ipsas Acherontis flammas malunt cruciari, quàm peccato contaminari; quàm libenter inter æterna illa cœli gaudia degent, ab omni potestate peccandi remotissimi? & de amicitia Numinis nunquam violanda certi? *Non enim est ibi malus, neque malitia,* ait S. Augustinus, *Non est aduersarius & impugnans, nec est vlla peccati illecebra. Nulla est ibi indigentia, dedecus nullum, rixa nulla, nullum improperium, caussatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, nulla discordia: sed est ibi pax summa, charitas plena, iubilatio & laus Dei æterna, sine fine secura requies, & gaudium semper in Spiritu sancto. O quam fortunatus ero, si audiero iucundissimas ciuium tuorum cantilenas, carmi-*

S. Ansel. lib. de similitudinib. c. 190.

S. Chrys. in ep. ad Philipp. Serm. 13. & Matth. hom. 37.

XVI.

S. Augustinus in Manual. cap. 6.

carmina melliflua, laudes summæ Trinitati debito honore promentia. Sed & nimium felix, si ego ipse meruero cantare canticum Domino Iesu Christo de dulcibus canticis Sion, & cum illo aduersarijs pristinis dicere: *Quis ex vobis arguit me de peccato?* *Io.8.46.*

Caput IX.

LABYRINTHI CADAVERA QVANTVM DISTENT A BEATORVM IMMORTALITATE, ET AETERNITATE?

§. I. Labyrinthum, sicut pro mortuis & mortalibus fuit extructus, ita & ipsum mortalem extitisse.



Es omnis, quantumcunq; præstans sit, atque iucunda, salem habet, si finem habet. Ea enim quæ grata affectuque nobis agglutinata sunt, sine dolore à nobis non auelluntur; atque eam ipsam ob caussam, animum mordent, quoties aspiciuntur, vt modica, aut cogitantur desitura. Quod cum ita sit, prisci Æthiopes Christiani morem habuerunt, vt maioris ordinis Antistitibus, non *crucem* modò, sed *vas* quoque *aureum nulla alia re, nisi terra refertum* in solenni pompa præferrent. Voluerunt enim vt I. *Sabell. l.4.c.4.*

hoc inſpectum, homines in alta, ſplendida, ac velut aurea dignitate poſitos terræ ſuæ, hoc eſt, ſuæ mortalitatis admoneret: cum ſcirent, non poſſe hominem quantumuis officio & auro fulgentem ſibi ni-
Gen.3.19. mis placere, ſi recordaretur ſe *terram pulueremq́; eſſe*, atque *in terram & pulueres reuerſurum*. Cognouit id etiã probè qui dixit:
Eccl.41.1. *O mors, quàm amara eſt memoria tua, homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis, viro quieto, & cuius viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum?* Hæc enim memoria oſtendit modicum eſſe, quidquid homines vt magnum admirantur. Siue enim diuitiæ te circumuallant, modico eas tempore poſſidebis, poſtea eas à te auferet mors: ſiue pax & quies te vndiq; circumdant, modicas tibi inducias permittit mors, poſtea & bellum & laborem indicet: ſiue proſperitas omnium negotiorum te vegetat, modico tempore hoc tranquillum durabit; poſtea nubes & tempeſtates, repentè tibi mors excitabit: Denique epulare & pergræcare, paulo poſt ſenties, quàm tetrum ſaginaueris cadauer. Hæc cogitatio eſt gladius capiti conuiuantium de pilo impendens, neque ſincerè quenquam

quam sinens in hac vita delectari: in qua tandem omnia intereunt & moriuntur.

Quocirca quamuis etiam Ægyptij *Labyrinthi* vtcunque secura fuerit habitatio; quamuis columnæ inibi assurgerent è molibus tantis compositæ, vt *nec multa secula quidem eas dissoluere*, nec *Heracleopolitæ* immensis laboribus ex pugnare possent, omni malleo fatigato, omni instrumento ferroque victo, hebetato & fracto; quamuis pyramides in cœlum attollerētur ære perenniores; quamuis *cuiusq; domus tabulata ac etiam cryptarum latitudines ex lapideis pluteis integris & magnitudine excellentibus confectæ* fuerint, *nulla vsquam nec ligni, nec alius materiæ admixtione*; quamuis tota structura ita fuerit inter se validè contexta, vt si quis in tabulatum ascenderet, posset *videre lapideum campum*, *eiuscemodi* lapidibus instratum; quamuis denique *parietes quoq; ipsi ex lapidibus non minoribus componerētur*, marmoraq; solidissima marmoribus iungerentur: hæc tamen omnia eiuscemodi fuerunt, vt tandem & ipsa vetustati cederent, & magnis parietinis, ruinis, luderumque aceruis faterentur etiam saxa mori posse, suaque fata sustinere. Ea propter

II.

Plin. l. 36. cap. 13.

Strabo lib. 17.

Pompon. Mela. l. 1.

Plin.ibid. & de solo Lemnio Labyrintho Plinius scribit, quòd extent *adhuc reliquiæ eius, cum*

III. *Cretici Italiciq́; nulla vestigia extent.* Quin & ipsos *Labyrinthi* incolas, quantumuis adeundi munitione, & fallacijs viarum tutos, tamen mortalitatis suæ multa admonebant. *Adiacebat enim regis sepultura eius, qui Labyrinthum construxit.* Nam, vt Strabo addit: *In fine huius ædificij, quod plus stadio occupat, est sepultura quædam, pyramis quadrata, cuius quodlibet latus quadriiugerum ferè est, & altitudo par. Sepulti nomen est Imandes, Lycias sepulchrum Mœridis* inibi extitisse testatur. Herodotus ait: *Præpositi Ægyptiorum nolebant vllo pacto* (subterranea domicilia *Labyrinthi) monstrari, quòd dicerent, illic sepulchra esse tum eorum regum, qui ædificandi Labyrinthi fuêre auctores, tum sacrorum crocodylorum.* Ac Plinius cum de *Labyrintho* Italico loqueretur, dixit, eum Hetruriæ regem Porsennam *sepulchri caussa* fecisse; subiunxitque hæc M. Varronis verba. *Monumentum reliquit lapide quadrato, singula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm (quæ est altitudo staturæ sex virorum) &c:* Sic *Labyrinthus*, non tam locus deliciarum fuit, quàm mortis monumentum, & quod de

Strabo lib.17. cit.

Plin. cit. loc. Herodot. lib.2.

de Troia dictum est, *virûm acerba cinis*, sepulchrumque mortuorum. Quod & ex Diodoro Siculo discimus, qui in hunc modum scribit: *Post regis huius obitum, recuperato Ægyptij regno, suæ gentis regem crearunt, Mendem, quem nonnulli Marum vocant; qui nullum omnino facinus bellicum designauit, sed sepulchrum Labyrinthi nomine sibi cõstruxit, non tam mole admirandum, quàm artificio inimitabile.* Cur autem sepulchra isti tanti reges tam operosè ædificarint, idem Diodorus Siculus paulo superiùs, vbi de Vchoreo Mempheos conditore agit, his verbis indicat. *Porro Memphis ille conditor, perfecto aggeris & lacus opere, Regias alibi quidem constructis non inferiores, regum tamen priorum magnanimitate & elegantia haud dignas ædificauit. Nam regionis huius incolæ tempus vitæ limitibus circumscriptum perexigui æstimant. At quod celebrem à morte virtutis memoriam habiturum sit, illud pendunt maximi. Et domicilia viuentium* DIVERSORIA *nominant, quod exiguum ad tempus hæc incolamus. Defunctorum verò sepulchra* DOMOS ÆTERNAS *appellitant; quòd infinitum apud inferos æuum peragant. Quamobrem de structura domorum minùs sunt soliciti:*

Diodor. Sicul. l. 1. Biblioth. historica.

IV.

Eod. lib.

citi: in adornandis autem ſepulchris eximiè, nihil ſtudium faciunt reliquum. Prorſus ſapiens cogitatio, ſi ſicut vitæ præſentis & tam citò finiendæ non cenſuerunt in extruendis palatijs magnam habendam eſſe rationem, ita non tam morti, quàm vitæ futuræ ædificauiſſent. Quo pacto Chriſtus ſuos

Luc. 16.9. iuſſit ædificare. *Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Nunc quia auidi famæ nihil aliud quæſiuerunt, quàm vt memoriam ſui in monumentis relinquerent, nihil etiam aliud ſunt conſecuti, quàm ſepulchrum, & pro

Pſ. 48.12. æterna vita, *æternas domos* mortis. *Et ſepulchra eorum, domus illorum in æternum;* vt quidem ipſi exiſtimabant; qui immortalitati animæ, aut virtuti diffidentes, perſuaſerunt ſibi, nomen ſuum in tumulis, & pyramidibus ſemper victurum. Crediderunt enim Mauſolea, ſplendidaſque illas ſtructuras ſemper duraturas. Qua opinione decepti, nec ipſi, nec eorum ſepulchra in valde diuturno honore fuerunt. Nam & honor eorum cum vita, & ſepulchra cum ætate defecerunt; vt non tantùm illorum, ſed etiam ipſorum ſepulchrorum cadauera

Vide Cic. lib. 2. de Legib. vbi agit de moderatione ſepulchrorum.

tiera cernerentur. Hæc gloria fuit *Labyrinthi.* In hoc ædificatus eſt, vt ſepeliret ædificatores ſuos, tandemq́ue & ipſe, immo ferè & memoria quoque ipſius ſepeliretur. Quæ mortalitas multum de dignitate illius detriuit. Quemadmodum & omnes aliæ res magnum precij æſtimationiſq́ue patiuntur detrimentum, ſi ſunt caducæ. Quippe & roſa amabilior eſſet, ſi non eſſet flos fugitiuus: & calix cryſtallinus pluris conſtaret, ſi non tam citò frangeretur. Quocirca & magnanimus ille Bobadilla noſter cum caſu aliquando precioſiſſimum eiuſcemodi calicem in quadam Principis aula fregiſſet, nihilo perturbatior fuit, ſed ſubridens dixit:

Res tanti ſteterat, tamq́ caduca fuit?

Minoris ergo precij ſunt res caducæ, & cõplementum quoddam eſt rerum chararum, ſi æternentur.

§. II. *Beatorum in cœlo ſtatum verè eſſe æternum, ſeu fine cariturum: contra Origenis errorem.*

V. Quàm longè igitur excellentior eſt Dei, quàm hominum architectura? Fecit enim & Deus in ſuo hoc Labyrintho quandam *domum æternitatis*; ſed verè in æternum du- *Eccl. 12. 5.*
ratu-

raturam ; vbi *perpetuum ver* , nullo flore marcescente; neque incola vllo mortem, aut mortale aliquid cogitante. Siquidem omnes ibi nectare viuunt & ambrosia. Quia enim peccatum ibi deest, caussa mortis, meritò tam innocentibus & sanctis vita perpetuatur. Et quamuis muri eius loci omnes sint perspicui, sicut vitrum, nequaquam tamen sunt vitreæ preciositatis, aut, vt rectiùs dicam, fragilitatis. Hinc Propheta sic eum locum compellat. *Lau-*
Ps.147.1. *da Hierusalem Dominum ; lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit seras portarum tuarum : benedixit filijs tuis in te.* Itaque non tantùm ex lapidibus preciosis & immortali adamante eum locum construxit mundi opifex, sed etiam *vectibus* ac *seris* ita firmis communiuit, vt nihil hostile, nihil aduersum, nihil triste, nulla mors, nullus finis aut terminus illuc ingredi possit. Denique domus illa ita est solidæ petræ fundamento imposita, ita excelso vallo circumdata,
Matth. 16.18. vt neque *portæ inferi* possint *aduersus eam præualere.* Sic filijs suis in cœlesti Ierusalem Deus benedixit, sic *seras portarum* suarum *confortauit* ; vt neque ingredi illuc, postquam electi intrauerint, quisquam am-

pliùs

pliùs possit (claudetur enim omnibus reprobis, sicut *Virginibus fatuis* ianua) neque egredi, & amittere tantam securitatem. *Matth. 25. 11.*

VI. Procul ergo hinc facessat error Origenis, qui S. Hieronymo, Epiphanio & Augustino testibus somniauit, non modò beatos è beatitudine sua exire, immo & excidere posse; sed etiam reipsa existimauit, quendam perpetuum fore inter tres status viuendi & moriendi, seu patiendi & gaudendi circulum: ita vt quæcunq; creatura ratione prædita, varijs seculis, pro meritorum varietate, ex Angelorum felicitate, in miserias humanas, & hinc rursum in cacodæmonum calamitates transferatur. Verosimile enim credidit, Angelos, animas, dæmonas vnius esse naturæ, solumq; differre statu & voluntate; atque eos, qui in cœlo & sanctitate permanent, tam diu Angelos dici, quàm diu permanent. Quòd si negligentiùs agant & peccent, quotidie ad corpora, veluti ad carceres relegari, animasque vocari, Græcè ψυχὰς, quòd charitas in illis refrixerit, ψῦχος enim frigus est. Sin enormiùs deliquerint, dæmones effici, grauioribusque supplicijs addici. Qui postea si denuò resipiscant, sicut & animæ,

Hāc sententiam Origeni ascribit S. Hieron. ep. 59. ad Auitum. Et S. Epiphan. ep. ad Io. Ierosolym. item S. Augustin. lib. de hæresib. hæresi 43. & lib. 21. de ciu. cap. 17.

nimæ, ſi à vitijs ad virtutem ſe iterum applicent, rurſus ad dignitatem Angelicam euehantur. Sic infinitos mundos, & infinitas viciſſitudines, & adeò nullam veram, quia nullam æternam beatitudinem fore arbitrabatur.

VII. Hos circulos, & mundos, & errores omnes excludunt *ſeræ* portarum *Sion confortatæ*. Longè ſecurior eſt illa habitatio, quàm vt finem admittat. Eſt enim omnibus rebus infeſtantibus inuia, morti impenetrabilis, aduerſarijs inacceſſa, denique ipſa æternitate firmata. Rata eſt illa promiſſio, *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis:* Neque peccatum, neque mors, neque vnius naturæ in alteram tranſmigratio; vt ſicut ſtatus, ita & gaudium ſit perſeuerans. Atque hîc non repetam, quæ Auguſtinus, Bernardus, & Cæſarius Arelatenſis de beatorum ſecuritate diſputauerunt, ipſæ diuinæ litteræ abundè teſtantur ſanctos ob hoc ipſum fore beatos, quia Deum ſine fine ſunt laudaturi. *Beati*, ait Dauid, *qui habitant in domo tua Domine*; cur? quia *in ſecula ſeculorum laudabunt te*. Alioq; in loco. *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Non ergo quaſi alterni Caſtores & Polluces nunc cœlum,

Io.16.22.

S. Auguſtin. 15. contr. Fauſt. c. 11. Bern. Serm. 2. ind, Non eſt regnũ Dei. Et ſerm. de triplici genere bonorum. Cæſarius Arelat. hom. 11. Pſal. 83. Sapi. 5.

cœlum, nunc terram obtinebunt; modò ſuperis, modò inferis oriendo & occidendo pares. Hoc enim non eſt in perpetuum viuere, & mercedem capere; ſed eſt mori & plecti. Vt enim hominis mors eſt, ſi anima à corpore diuellatur; ita animæ mors eſt à gaudijs & re concupita auelli. Dolerent ergo ſancti & gemerent morte hac impendente, neque verum eſſet, quod Iſaias vaticinatur: *Et lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Ac rurſus alibi: *Ecce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor: ſed gaudebitis, & exultabitis vſque in ſempiternum in his, quæ ego creo.* Vana quoque eſſet lactatio, & fraudulenta promiſſio S. Pauli dicentis: *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quo modo æternum, ſi mutari poſſet? Quare, vt S. Petrus quoque ſubſcribit; *Regenerauit nos in ſpem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem* Chriſtus: *Et ſic ſemper cum Domino erimus,* quia neque mors, neque gladius, neque

Iſa. 35.

Iſa. 65.

2. Cor. 4.

1. Petr. 1.

1. Theſſal. 4.

perſecutio, neque tentatio ab illo ſeparabit. Igitur, non vt in *Labyrintho*, rudera, ſepulchra, cadauera, ſed *ædificationem habemus à Deo domum non manufactam, æternam in cælis.* 2. Cor. 5.

§. III. *Cauſſæ, ob quas ſtatus beatorum ſit æternus?*

VIII. Satis teſtimoniorum eſt, nunc etiam rationes afferamus, cur beatorum ſtatum oporteat eſſe æternum? Atque inprimis illa occurrit, quòd non minor duratio præmij bonorum debeat à diuina bonitate ac miſericordia proficiſci; quàm ſupplicij malorum, à diuina iuſtitia decretorum. Si ergo tormenta damnatorum erunt ſine fine duratura, par eſt, vt etiam electorum gaudia ſint ſempiterna. Hinc æquiſſimus iudex iam antè edixit: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum; iuſti autem in vitam æternam.* Matth. 25.46. Verùm hæc ratio id ipſum ponit, quod Origenes negauit, ſcilicet reproborum ſupplicia finem non habitura: quare aduerſus eam opinionem poteſt videri non eſſe admodum firma. Reipſa tamen eſt firmiſſima, tum quia fides, tum quia ſcriptura ſacra tradit hanc veritatem. Cum tamen etiam

iam alteram illam de beatitudinis æternitate veritatem itidem tam fides, quàm ſcriptura apertè tradat; quam nihilominus Platonicis imbutus figmentis vel non vidit, vel more hæreticorum, in tanta luce, videre noluit Origenes, vt S. Epiphanius ſcribit; producemus & alias contra eum rationes. Quarum altera eſt, quia ratio repudiat, & piæ aures horrent impium errorem Origeniſtarum. Quantumuis enim à pertinaci cerebro clariſſima teſtimonia ſcripturarum ad allegorias violentè detorqueantur; quantumuis veraciſſimæ illæ promiſſiones: *Qui elucidant me, vitam æternam poſſidebunt: Gratia Dei vita æterna: Ibunt in vitam æternam &c.* auxeſin, hoc eſt, deceptionem aliquam, non ſine atroci iniuria fidelis Dei habere dicantur: tamen natura ipſa, ſiue bonitatem Numinis expendat: ſiue huius, ſiue futuræ vitæ ſtatum ac conditionem conſideret, non poteſt non de æternitate aliqua cogitare. *Quorum piorum aures*, ait S. Auguſtinus, *ferant poſt emenſam tot tantiſq; calamitatibus vitam, poſt tam magna mala, tamq; multa & horrenda, tandem aliquando per veram religionem & ſapientiam expiata atq; finita, ita peruenire ad*

S. Epiphã. in ep. ad Io. Hieroſolymit. Epiſcopũ Origeniſtam.

IX.

Eccl. 24. 31. Rõ. 6. 23. Matth. 25. 46.

S. Auguſtin. l. 12. de ciuit. cap. 20.

conspectum Dei, atque ita fieri beatam contemplatione incorporeæ lucis per participationem incommutabilis immortalitatis eius, cuius adipiscendæ amore flagramus, vt eam quandoque necesse sit deseri, & eos, qui deserant, ab illa æternitate, veritate, felicitate deiectos, tartareæ mortalitati, turpi stultitiæ, miseriis execrabilibus implicari, vbi Deus amittatur, vbi odio veritas habeatur?

X. Accedit huc tertia ratio ab ipsa opinione Ethnicorum maximeque Aristotelis petita. Is enim vel idcirco cœlum incorruptibile atque æternum esse affirmauit, quòd sit sedes Deorum, adeoque beatorum. Quorsum enim domicilium incorruptibile & æternum, nisi æternis & æternùm ibi mansuris? ac columnæ instar immobilis immobiliter templum beatitatis occupaturis? Quod & in Apocalypsi docetur. *Qui vicerit*, inquit, *faciam illum columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur ampliùs.* Itaque neque in terras has detrudetur, neque sub terras. Quam detrusionem si metuere possent sancti, iã profectò non essent beati, neq; pacem, quę bonorum nostrorum finis est, obtinerent.

Aristot. 2. de cæl. text. 2.

Apoc. 3. 12.

XI. Quarta igitur ratio, est, quia pax sanctorum exigit, vt merces eorum nullis casibus

vnquã

vnquam terminetur. Hinc teste D. Augustino ad sanctam illam ciuitatem dicitur; *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confirmauit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. Qui posuit fines tuos pacem. Quando enim confirmatæ fuerint seræ portarum eius, iam in illam nullus intrabit, nec ab illa vllus exibit. Ac per hoc, fines eius eam debemus hîc intelligere pacem, quam volumus demonstrare finalem. Nam & ipsius ciuitatis mysticum nomen, id est, Hierusalem, visio pacis interpretatur. Sed quoniam pacis nomen etiam in his rebus mortalibus frequentatur, vbi vtique non est vita æterna: propterea finem ciuitatis huius, vbi erit summum bonum eius, æternam vitam maluimus commemorare, quàm pacem. De quo fine Apostolus ait: Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Quare idem S. Pater ait: *Profectò finis ciuitatis huius, in quo summum habebit bonum, vel pax in vita æterna, vel vita æterna in pace dicendus est.* In hoc ergo quiescunt beati, quia sciunt æternùm se vita illa iucunda potituros. Itaque æterna vita alios fines non habebit, quàm pacem: neque pacem

Ps. 147. 1.

S. Augustin. l. 19. de ciuit. cap. 11.

Rom. 6.

S. Augustin. ibid.

haberet si æterna non esset. Quomodo enim in pace essent, si semper anxij essent sancti de vita tam iucunda atque beata amittenda? Immo quomodo non maximo mærore afficerentur scientes, se aliquando tantum bonum amissuros? Quò enim quisque vehementiùs æstimat amatque bonum, quod possidet, eò acerbiùs dolet, si videat se illud amissurum. Nisi quis dicat, sanctos non videre, quòd bona sua amittere possint, quamuis amittere possint. Sed hoc inane est prorsus. Quasi enim Origenes plus viderit in terris, quàm beati visuri sint in cœlis? aut tanquam si in intellectu sanctorum error habeat locum, cum tamen malum in beatis non habeat locum, errorque iste non paruum sit malum? Certè beati esse non possunt, quorumcunque beatitudo falso nititur fundamento; cum nihil tam beatitudini sit aduersum, quàm error circa ipsum beatitudinis fundamentum. Si igitur sancti illi falsò sibi æternam felicitatem persuaderent, beati non essent. Et tamen hoc ipso maximè gauderent, sicuti gaudent,
XII. quia cogitant gaudium illud à se neminem sublaturum. Atque hæc est quinta ratio æter-

æternitatis. Quemadmodum enim inter præcipuas afflictiones damnatorum eſt, quòd deſperent liberationem, videantque ſua tormenta per omnes æternitates duratura; ita inter ſumma maximaque electorum gaudia cenſetur etiam illud, quòd ſciant poſſeſſionem boni, quod obtinent, nullis vnquam ſeculis eſſe deſinendam. Ad ſummum ergo gaudium etiam hoc pertinet, vt non ſit breue, ſed diuturnum, ſed æternũ; vt etiam de hoc gaudeatur, quòd ſit ſemper gaudendum. Quin etiam ad ſummum id Dei donum pertinet, vt ſit ſine pœnitentia, & non mutetur, ſicut neq; Deus mutatur. *Ibi enim erunt naturæ munera,* ait Hipponenſis Antiſtes, *hoc eſt, quæ naturæ noſtræ ab omnium naturarum creatore donantur: non ſolùm bona, verùm etiam ſempiterna: non ſolùm in animo, qui ſanabitur per ſapientiam, verùm etiam in corpore, quod reſurrectione renouabitur.* Sempiterna igitur & animi, & corporis bona à ſempiterno Deo donabuntur ſanctis. Quia ſi magnos decet magna dare amicis; infinitũ Deum infinita decet dona ſanctis impartiri. Atque eò ipſo, quia beatitudo eſt quædam participatio Dei (nam *cum apparuerit, ſimi-*

XIII.

S. Auguſtin. l. 19. de ciuit. cap. 10.

1. Io. 3.

les ei crimus) beatis communicatur, quantùm poteſt. Non poteſt autem ab æterno, poteſt verò in æternum communicari. Hinc nulla creatura ab æterno fuit beata, erunt tamen multæ in æternum beatæ; vt & Deum, & Dei donum commendent. Quæ eſt ſexta ratio æternitatis beatæ.

XIV. Septima eſt, quòd ſicut Dei donantis conſtans eſt voluntas in donis à ſe datis, ita neque ipſi ſancti cauſſam ſint daturi, vt illud donum à ſe auferatur. Hæc eſt illorum ſecuritas, *ita certi erunt*, ait S. Anſelmus, *nunquam iſtud bonum ſibi defuturum; ſicut certi erunt, ſe ſua ſponte id non amiſſuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus ſuis inuitis ablaturum; nec aliquid Deo potentius ipſos inuitos à Deo ſeparaturum.* Quamuis enim in hac vita gratia habitualis per peccatum amitti poteſt, ſicut & alij habitus ſupernaturales; tamen in altera vita gloria per peccatum amitti non poteſt, cum peccatum admitti non poſſit. Quiſquis enim lumine gloriæ eſt colluſtratus, nihil videt, ob quod peccare velit; omnia cernit, ob quæ peccare non debeat. Si ergo nemo ibi peccabit, nemo quoque punietur: ſed ſine fine gaudebit & *coronabitur*, qui hîc *legitimè*

S. Anſelmus Proſologij cap. 25.

timè certauerit, & *ad finem vsque perseuerauerit.* Quæ ipsa etiam perseuerantia, sicut imago, ita & ratio etiam est cur æternitatem consequamur. Hanc octauam rationem S. Bernardus indicauit his verbis: *Quis sustinet & perseuerat in amore, nisi qui æmulatur æternitatem charitatis? Nempe æternitatis quandam imaginem perseuerantia præ se fert. Denique sola est, cui æternitas redditur, vel potiùs, quæ æternitati hominem reddit.* Quam ob caussam ipse Dominus ait: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*: vt scilicet sicut permansistis mecũ in tentationibus meis, sic etiam mecum in regno meo permaneatis: & quemadmodum ego pro terrenis cœlestia, pro humanis diuina paraui, ita etiam pro parui temporis perseuerantia, perseuerantiam æternam vobis reponã. Nona ratio sumitur ex ipsa beatitudinis ratione. *Vita non est, nisi beata,* ait magnum illud Ecclesiæ lumen, *Et beata vita non potest esse, nisi æterna, vbi sunt dies boni; nec multi, sed vnus.* Hinc quisquis futuræ vitæ statum concipit, concipit statum immutabilitatis & æternitatis; vbi

XV.

S. Bern. lib. 5. de Considerat. c. vlt.

Luc. 22. 28.

XVI.

S. Augustinus in sermonib. de tempore. Serm. 113.

Idem lib. Medit. cap. 26.

Clari, viuidi, iucundi nullis patent casibus.
Absunt morbi semper sanis, senectus iuuenibus.
Hinc perenne tenent esse, nam transire trãsijt.
Inde virent, vigent, florent, corruptela corruit.
Immortalitatis vigor mortis ius absorbuit.

Ex quibus omnibus manifestum est, sanctos in cœlo ita vniuersa corporis animiq; bona possessuros, vt quidquid optent, habeant, semperque habeant sine vllo metu amissionis, cum certa quadam perpetuitate.

§. IV. *Quid ex comparatione rerum mortalium & immortalium discamus?*

XVII. Igitur felicissimæ illi æternitati testimonium dant diuinæ litteræ; damnatorum æternæ miseriæ: sensus communis hominum & ipsorum etiam Ethnicorum: locus ipse cœli corruptionis expers: pax perfecta omnem amittendi illius status excludens anxietatem: gaudij plenitudo, quæ tanta non esset, si æterna non esset; si enim istius vitæ miserias solamur spe vitæ futuræ, nobisque inter ipsos labores ac dolores

lores dicimus, *dabit Deus his quoque finem*; vtique & beati illi gaudijs maioribus perfundentur, si cognoscant nullis illa timoribus acerbari, quibus profectò acerbarentur, si scirent ea esse finienda; sicut & tristitiæ nunc mitigantur, si cogitentur finem habituræ. Confirmat eandem beatitudinis æternitatem, quòd ab æterno infinitoque Deo maximi instar doni tribuatur: quòd nos Deo, quantum fieri in duratione potest, similes efficiat: quod immutabilis illa voluntas dona sua semel concessa non retractet, quàm diu se indignos non faciunt, qui ea acceperunt; nec verò se indignos facere sancti possunt, cum peccare non possint: denique quòd & perseuerantiæ iustorum æternitas respondeat præmiorum; & ipsi beatitudini perpetuitas debeatur. Verè ergo arx illa cœlestis est æterna. Non ita *Labyrinthus*, non Roma habuit æternitatem. Fuit quidem opinio, fuêre scriptores, qui *Romam & æternam, & deam* vocarent, cuius opinionis originem Lucius Florus his verbis indicat: *De manubiis captarum vrbium templum erexit* (Tarquinius superbus) *quod cum inaugu raretur, cedentibus ceteris diis, restitêre Iuuentas*

Virgil. 1. Æneid.

XVIII.

Luc. Flor. in Tarq. Superb.

tas & terminus. Placuit vatibus contumacia numinum: ſiquidem firma omnia & æterna pollicebantur. Quocirca & Maro ex Iouis ore canit:

Virgil. 1. Æneid.

Romulus excipiet gentem & Mauortia condet
Mœnia, Romanoſq; ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium ſine fine dedi.

Vide Pierium Hierogl. 43.

Ad quod imperium aſpiciens Attalus Imperij ſub Honorio tyrannus numiſma cudit, in cuius altera facie Roma expreſſa fuit cum hac epigraphe: *Inuicta Roma æterna.* Idem cecinit olim Erinna Leſbia. In hunc modum veterem Romam æternam vocauêre corui, picæ, adulatores. Quam æternam nõ fuiſſe, tot circorum, theatrorum, palaciorum ruinæ, & vix agnoſcenda veſtigia ſatis clamant; & quidem vſque adeò non fuit æterna, vt illi quaſi mortuæ nunc noua Roma ſucceſſerit.

Erinna Lesb. Ode in laudẽ Romæ.

XIX. Neque ſanctus Benedictus prædixit fore æternam, ſed tantùm à Totila non euertendam promiſit. Sic enim ſanctus Gregorius ſcribit: *Canuſinæ Antiſtes Eccleſiæ, dum cum viro Dei* (S. Benedicto) *de ingreſſu regis Totilæ & Romanæ vrbis perditione colloquium haberet, dixit:*

S. Gregor. lib. 2. dialogor. c. 15.

dixit: Per hunc regem ciuitas iſta deſtruetur, vt iam amplius non inhabitetur. Cui vir Domini reſpondit: Roma à Gentibus non exterminabitur, ſed tempeſtatibus coruſcis, turbinibus ac terræ motu fatigata, in ſemetipſa marceſcet. Cuius prophetiæ myſteria nobis iam facta ſunt luce clariora, qui in hac vrbe diſſoluta mœnia, euerſas domos, deſtructas Eccleſias turbine cernimus. Eſtné hoc eſſe *æternam Romam?* Et eſto *æterna* dici poſſet, non quòd ſemper duratura, ſed quia ſaltem ad finem mundi ſit duratura, tempore tamen Antichriſti exſcindetur. Quod & poſt tempora Chriſti vrbi Hieroſolymitanæ euenit; & rurſus tempore Antichriſti ſub finem mundi omnibus oppidis, arcibus, ciuitatibus ac ſtructuris eueniet. Vt proinde meritò iſtis palaciorum & rerum terrenarum admiratoribus dici poſſit, quod Chriſtus diſcipulis ſuis dixit: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Idem in toto mundo contingét, quando *terræ motus magni erunt per loca.* Tunc enim à ſpiritu Dei ad vindictam venientis & omnia concutientis mare turbabitur, ruent *alto à culmine* turres & arces, ædificia ac palacia ſolo æquabuntur; quem-

Matth. 24. 1.

XX.

Luc. 21. 11.

quemadmodum factum est, Samſone ſeſe
Iudic. 16. 29. vindicante & apprehendente *ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramq́ earum dextera, & alteram læua* tenente, cum *concuſſis fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes, & ceteram multitudinem, quæ ibi erat.* Sic iuſtus & iratus iudex mundi fundamenta conquaſſabit, quibus omnes ſpes & opes, & lites, & voluptates humanæ innituntur. Sed quàm improuidè? Hirundines aiunt nidum ſuum nunquam ponere in pariete caduco, aut domo ruinam minitante: & homines tam ſtolidi ſunt, vt ibi & nidum, & quietem ſuam collocent, vbi cernunt omnia labefactanda, & repentino caſu deijcienda, vt amatores

XXI. ſuos opprimant & inuoluant? Quàm longè aliter facerent, ſi cum terris æternas illas ſecuraſque in cœlo manſiones compararent? Nemo vt plumbum poſſideat, aurum perdit. Nemo mauult arundine niti, quàm ſcipione eburno. Nemo carbones eligit, & theſaurum contemnit. Nemo potiùs vmbram captat, quàm prædam. Nemo optat magis ventos venari, quàm ceruos. Nemo regiam marmoreamque domum negligit, vt poſſit habere caſam

puerili

puerili ludo ex arenis ædificatam. Denique nemo pluris æſtimat ſtillam quàm fontem, guttam quàm fluuium, granum quàm aceruum, punctum quàm circulum. Et nos plumbeas has voluptates aureis illis delicijs; mortuos iſtos & denigrantes pecuniarum carbones, infinitis cœli theſauris; vmbras has vaniſſimorum honorum, illis veris titulis; ventos iſtos, caſas has, iſtas arenas, ſtillas, guttas, grana, puncta; certis illis æterniſq; gaudijs anteferemus? O ſi & vana iſta, & vera illa; iſta fluxa, illa æterna ſeriò perpenderemus! perſpicuè profectò cerneremus, quàm exigui momenti ſint omnia, quæ in terris tam ambitiosè amamus; immo quàm prorſus nihili facienda; ſi cum cœlo rebuſque ſempiternis æſtimentur. Quippe quidquid fluxum eſt, tranſit. Quidquid autem tranſit, poſtquam tranſijt, perinde eſt, ac ſi nunquam extitiſſet. Idem enim reſtat poſt finem, quod fuit ante initium. Ante initium nondũ erat: poſt finem non ampliùs erit. Nihil ergo erit. Eat igitur aliquis cũ Salomone, & dicat: *Vadã & affluã delicijs, & fruar bonis*; Eccle. 2. 1.
mox alteram illius cantionẽ vſurpabit dicens: *Et vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas.*

Sapi-

Sapientissimi & delicijs plenissimi viri vox
Ibid. v. 4. est: *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem siluam lignorum germinantium, possedi seruos, ancillas multamq; familiam habui, armenta quoque, & magnos ouium greges, vltra omnes, qui fuerunt ante me in Ierusalem: coaceruaui mihi argentum & aurum, & substantias regum, ac prouinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos, & vrceos in ministerio ad vina fundenda: & supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem: sapientia quoque perseuerauit mecum. Et omnia, quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaueram: & hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo. Cumq; me conuertissem ad vniuersa opera mea, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.*

XXII. Quare etiamsi quis omnibus mundi voluptatibus perfundatur, etiamsi cum Sardanapalo in delicijs natet, cum Cleo-

Cleopatra in rosis cœnet; etiamsi omnibus titulis salutetur, omnibus honoribus, omni gloria colatur; omnium vocibus & sermonibus celebretur; supra omne imperium & solium euehatur; idque longo tempore, plurimisq; annis: si tamen postea vel casu, vel fraude, aut violentia hostiũ, vel ipsa morte cogatur hæc omnia desere-re; nihil illi superererit ex omnibus, quod illum delectet, aut quod sit loco emolumenti. *Est sermo Dei ad homines*, ait Eugubinus, *quasi dicat: Quid struis, qua fretus spe viuis? quid si vel mille annos, id est, plus quàm primus genitor, qui 930 annos traiecit, ipse viueres, omnis hæc ætas, quia moriendum tandem est, erit tibi velut vna dies hesterna elapsa. Quòd si humana vita est particula temporis, tempus breuissima pars æternitatis, quid erit, quidquid vnusquisque hominum viuit ante oculos Dei? Nam, vt ait Plato & Aristoteles, nec dies est, nec annus, nec mensis apud Deum, qui est supra solem temporis genitorem, nec tempore potest intercipi.* Sicut ergo de hesterno die nihil habent homines, sic de tota vita in omnem *æternitatem* nihil superererit, cuius commodo fruantur, præter virtutem, & thesaurum in cœlo thesaurizatum, *opera enim*

Eugubin. in Ps. 89.

Apoc. 14. 13.

S

enim illorum sequuntur illos. Quid si me multis quidem annis liceat hîc & sic in honoribus viuere? An ob tam breue tempus *æternitas* erit contemnenda? Et tamen summi quique breuissimè durauerunt. Imperatores Romanos cogita. Miraris sceptrū, formida interitum; profectò non fuit tam breuis gloria, tam funesta morte emenda. Plerique vel suo, vel alieno ferro ceciderunt. Theodosius tertius anno non integro expleto, regni cursum vitæque expleuit. Maximus & Balbinus occubuit mense duodecimo. Paulò diutiùs regnauit Basiliscus, nempe mensis illi vigesimus fuit fatalis. Sed tanto breuius extitit imperium Vitellij, qui nono, & Galbæ, qui mēse septimo solium cum sepulchro commutauit: Tacitus autem mense sexto: Michaël Calaphates mense quinto: Otto mense quarto: & necdum expleto mense secundo Maximus: ac Piso prope primo: quin Siluanus die vigesimo & octauo: Quintillus die septimo & decimo. Ita summorum Imperatorum breuis fuit in gloria diuturnitas, vt multi vnum mensem in honore nō prouixerint, more scarabæorum, qui in Maio circumuolitant, ac

se se

ſe ſe oſtentant; tum mox terras ſubeunt, & in luti cauernis abſconduntur. Quid ergo poſt tantillos triumphos miſeri habuerunt? Quid prodeſt homini vnius diei, aut anni lætitiam capere, & in *æternum* ſe ſe malum præcipitare? Imo ſi poſt tranſactos plurimos in vanitate annos viuat, ſi ſentiat, aut ſi vel anima defuncti intelligat quibus rebus ſit orbata, incredibilis mæror ex his omnibus in ea relinquetur, & memoria acerbiſſima rerum præteritarum. Quæ memoria tanto triſtior erit, quantò bona illa, quę reliquit, illi viſa ſunt maiora atque iucundiora. Quò enim plus dulcedinis habent, quæ poſſidentur, eò tenaciùs agglutinant animum; eoq́ue poſtea maiore cum dolore reglutinantur. Creſcit enim amiſſionis amaritudo, ex ſuauitate poſſeſſionis. Vt proinde vel ex hoc vnico capite, licet alij mille earum contemnendarum tituli non eſſent, res fluxæ atque caducæ meritò non ſint magnifaciendæ. At verò cœli gaudia, vita beata, & præmia ſanctorum, quia æterna ſunt, finemq́ue neſciunt; nunquam amittuntur. Quare ſunt infinitis modis meliora & optabiliora omnibus vitæ iſtius

fugitiuæ bonis, etiamsi ceteris illis titulis, quos supra commemoraui, non antecellerent. Quo enim duratio boni alicuius est maior, tanto & ipsum maius esse iudicatur; & si in infinitum extenditur, iam omnem modum obtinet durationis; an autem etiam omnem idcirco modum contineat securitatis, capite sequenti disseremus.

Caput X.

AN PROPRIE DICTAM OBTINEANT AETERNITATEM BEATI?

§. I. *Vanitatem & æternitatem, diuersorum affectuum esse caussam.*

I. *Athen. lib. 14. Strabo lib. 14.*



EMORAT Athenæus, & cum eo Strabo, Sardanapalum humanæ quidem vanitatis peruulgatum, sed insigne exemplum, vt, quod in vita docuerat, post mortem iterum dedoceret, monumentum habuisse, in quo statua quæpiam consertis digitis quasi sonum editura videretur. Quo symbolo aiunt aliud nihil esse significatum, quàm humana omnia esse id, quod D. Gregori⁹ Nazianzenus ait, *strepitum manus plaudentis*. Hoc etiam fuerunt omnes, quicunque pro laude huma-

D. Greg. Naz. in Odis.

humana vel *Labyrinthos*, vel aliud quidpiam superbè ædificauerunt. Nam, tu Deus, *increpasti gentes, & perijt impius: nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi. Inimici defecerunt frameæ in finem: & ciuitates eorum destruxisti. Perijt memoria eorum cum sonitu: & Dominus in æternum permanet*, quemadmodum & illi, qui Domino adhæserunt. Sicut enim desinente cum ipsis hominum sermone, *sonituque* auribus tantùm dato, *perdit de terra memoriam* impiorum, sic *in memoria æterna erit iustus*; neque in memoria *æterna* tantùm, verum etiam in lætitia sempiterna. Quamobrem, vt rerum terrenarũ *vanitas* nauseam inducit sapienti, ita cœlestium bonorum *æternitas*, obiecta rerum vanarum vilitate, eundem mirificè inflammat ad eadem plenis desiderijs concupiscenda. Quemadmodum enim S. Benedictus eleuatus aliquando in Deum Deique immensitatem, vidit illicò sub ea totum istum mundum, cum omnibus terris, & spaciosa Oceani vastitate, velut in exiguam pilam, contractum, atque instar globi parui existentem, aut potiùs puncti instar: ita quisquis mentem attollit in *æternitatem*, sub

Psal. 9. 6. *Ps. 33. 17.* *Ps. 111. 6.* II.

ea perspicuè cognoscit, omnia tempora collecta esse instar vnius diei: immo instar momenti. *Quia videnti Deum*, ait S. Gregorius, *angusta est omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce creatoris aspexerit, breue ei fit omne quod creatum est. Lux enim interior, quæ videntis animum ad superiora rapuit, ei quàm angusta essent omnia inferiora monstrauit.* Hanc angustiam ex parte etiam Ethnici viderunt: vnde celebratur ille Euripidis versus, quem Plutarchus recitat; *Non est stabilis felicitas, sed in diem durans:* Vbi laudatum alioqui Poëtam Demetrius Phalereus reprehendisse legitur, *quòd non vnum diem, sed temporis punctum dicere debuisset.* Rationem aliquam Seneca his verbis attingit: *Fluit tempus, & auidissimos sui deserit. Nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit: in puncto fugientis temporis pendeo.* Alteram rationem S. Augustinus affert, cum ait: *Considerent, nihil esse diuturnum, in quo aliquid est extremum: & omnia spacia seculorum definita, si æternitati interminæ comparentur, non exigua existimanda esse, sed nulla.* Sic sanctissimus ille Angliæ & Cancellarius & Martyr Thomas Morus existimauit: qui, vt scribit Stapletonus,

S. Gregor. lib. 2. dialog. c. 35.

III.

Plutarch. in lib. cõsolat. ad Apollonium.

Senec. l. 7. Natur. qq. c. 32.

S. Augu. lib. 12. de Ciu. c. 12.

IV.

Thomas Stapletõ. in vita Th. Mori.

tonus, ab Henrico VIII rege Angliæ omnibus machinis frustra oppugnatus, cum tandem etiam domestico ariete quateretur, vxore vt fit, miserabilem illius sortem muliebriter lamentante, ac vitam aliam lautissimam promittente, si regiæ petitioni annuisset, respondit: *Et quanto tempore illa sorte lauta, ò vxor, fruemur?* cumque illa diceret, *Adhuc facilè ad viginti annos:* respondit rursum Morus: *Certè stulta es meretrix. Quid enim sunt viginti anni, ad æternitatem? vis vt viginti annis deliciarum, prodigam æternitatem gaudiorum cælestium, mihiq; accersam æternitatem dolorum infernalium?* Vt ergo viuacissimi lux solis, lumen exiguæ lucernæ nimia claritate extinguit, ita *æternitas* vitæ illius extinguit vitæ istius *breuitatem.* Quod nec Esdras, vel quisquis est auctor ille, ignorauit, cuius hæc sunt: *Expectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis; quoniã in proximo est ille, qui in fine seculi adueniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite vmbram seculi huius.* Facit igitur & seculi huius *breuitas*, & futuri *æternitas*, vt hinc libenter illuc aspiremus, dummodo, sicut *4. Esdra. cap. 2. 34.*

ſcimus nos hîc non habere permanentem ciuitatem, ita de futura *æternitate* non
V. dubitemus. Quoniam igitur huc vſque vidimus beatitudinem ſanctorum finem non eſſe habituram, nulliſque vnquam ſeculis amittendam, ſatis quidem id eſſet ad deſiderium noſtrum accendendum; cum nihil aliud deſideremus, quàm vt rem amatam reipſa nunquam amittamus; longè tamen pluris facimus bonum aliquod, ſi eiuſmodi eſt, vt etiam neque amittere quidem illud valeamus. Itaque porrò videndum eſt, an beatitudo cœleſtis talis ſit, vt ſemel obtenta, non modò nunquã ampliùs amittatur, ſed ne amitti quidem vllo modo poſſit? hoc eſt, an propriè, aut verè *æterna* ſit? Nam *æternum* eſſe, & amitti poſſe, non videntur ſimul conſiſtere; maximè, cum *æternitas ſit perfecta poſſeſſio*, & id quod amitti poteſt, perfectè non poſſideatur, quodque perfectè poſſidetur, nequeat amitti.

§. II. *Quid ſit æternitas?*

VI. Ad quam quæſtionem, vt ex formula, quod aiunt, reſpondeamus, priùs diſcutiendum eſt, quid ſit æternitas? S. Cæſarius frater

Dialog. 3.

frater S. Gregorij Nazianzeni, *Apud Deum*, ait, *vespere carens, & vnicus dies est tota æternitas.* Immo Dei *æternitas* est dies & *manè & vespere carens*, vnde dicitur *in meridie cubare*, nec ortui, nec occasui vicinior; cum sancti quotcunque sæcula atque ætates, & myriades ætatum in cœlo consumserint, semper tamen adhuc initio *æternitatis* suæ, quàm fini sint futuri propinquiores: quia *æternitas* illorum etsi fine caret, initio tamen non caret. Hinc quotquot secula cogitemus ab initio beatitudinis illorum transijsse, etiamsi tot, quot in siluis folia, in campis gramina, in littore arenas; tamẽ adhuc nihil exhauserunt, neque imminuerunt de sequente *æternitate*; neque vnquam dici poterit *æternitatem* antecessisse. Ac proinde dimidiata tantùm erit *æternitas*, quam sancti obtinebunt. Hinc fit, vt neque mundus iste, quamuis nunquam penitus sit periturus, sed in elementis & cœlis semper duraturus; neq; animæ, neque homines beati, neque ipsi adeò Angeli simpliciter *æterni* possint appellari, seu ἀΐδιοι, sed αἰώνιοι; *æuum* enim illorum est duratio, aut *æuiternitas*, non *æternitas*. Quippe tametsi posthac de sæculo in sæ- Cant. 1. 7.

culum ſemper ſint tranſituri, & infinitis ſæculis nunquam deſituri, tamen itidem infinitis antehac quaſi ſæculis non extitcrunt.

VII. Theologis cum Boëtio *æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*; qua ſcilicet non expectatur, nec in ſpe, ſed reipſa præſens habetur à Deo *vita*, quæ eſt perfectiſſimum eſſe, in cuius proinde potiùs, quàm in eſſentiæ *poſſeſſione* ponitur perfectiſſima Dei duratio, quæ eſt *æternitas*. Dicitur verò hæc *poſſeſſio tota ſimul eſſe*; quia non habet partem poſt partem, ſed omnem ſuam extenſionem habet in vnicum momentum collectam. Vt adeò *æternitas ſit quaſi vnum indiuiſibile nunc, durans ſemper, & conſtans; quod omni momento totum quidquid habet, habet ſimul vnitum:* ac proinde in eo indiuiſibili mille anni noſtrates, & millies mille ſecula ſunt *quaſi dies vnus*; & dies vnus in Dei *æternitate*, eſt ſicut mille anni noſtrates, & ſicut millies mille ſecula, & quidquid vltra poteſt cogitari. Siquidem in ea nulla eſt ſucceſſio, nihil præterit, nihil aduenit: verùm ipſa eſt quaſi vna dies perpetua & conſtans, omnibus annis, omnibus ſeculis coëxiſtens; circa quam ſtantem atque immo-

Boet 3. de Conſolat.

motam omnia ſubter tempora voluuntur, labuntur, prætergrediuntur. Atque ita quidquid infiniti noſtrorum annorum ſeculorumque circuli habent extenſum, id totum diuina *æternitas* vno momento immota continet, & in indiuiſibili poſſidet; quo ipſo indiuiſibili coëxtenditur tempori infinito. *Sicut enim immenſitas Dei totam Dei magnitudinem, quæ abſq; termino in omnem partem diffunditur, colligit in punctũ, vt non minus habeat in puncto loci, quàm in ſpacio immenſo: ita æternitas durationem Dei, & (vt ita dixerim) ætatem ſeu vitam, quæ infinito temporis coëxtenditur, colligit in momẽtum, ita vt totam poſſideat in momentò. Sicut enim immenſitas ſe habet ad punctum loci, ita æternitas ad punctum temporis: poſtulat enim æternitas, vt omnis apprehenſio, omnis cogitatio, omne conſilium, omne iudicium, omnis voluntas, omne decretum, omnis amor, omne gaudium, omnis felicitas, omnis complacentia & diſplicentia, denique omnes actus intellectus & voluntatis, qui ſucceſſu temporis infiniti in Deum cadere poſſent, fuerint in illo, & ſint perfectiſſimè quouis momento, omnibus retro ſeculis, & in poſterum futuris deſignabili.* *Leonard. Leſſ. de diuin. Perf. l. 4. cap. 1.*

VIII. Nam infinita illa *æternitatis* perfectio non

non poteſt à nobis cognoſci, niſi comparatione. Eſt autem hæc prima comparatio, vt cum tempore imaginario infinito conferatur; cui virtute coëxtenditur, & exæquatur: cum interim eadem omnia ſimul atque in vno puncto habeat, quæ habet quamdiu cum infinitis illis temporum ſpacijs coëxiſtere cogitatur. Hinc altera illa comparatio exiſtit, qua cum puncto confertur, quod ita in circulo circumducto medium exiſtit, vt reſpondeat toti peripheriæ, & ad ſingula eius puncta ſe habeat eodem modo: ſic *æternitas* quoque præſens eſt, & reſpondet omnibus, quotcunque eam ſeu ſeculis, ſeu momentis intellectu circumſcribas. Conferunt eam nonnulli etiam rupi immobili in rapaciſſimo flumine ſtanti. Sicut enim eiuſcemodi rupes eodem ſemper loco perſeuerans, flumine continuò præterfluente, omnibus illius aquæ partibus ſucceſſiuè ſe trudentibus & rupem lambentibus, nec vnquam redeuntibus eſt præſens; ita ſub eadem immota *æternitate*, & ſemper præſente, omnia tempora & temporalia, tanquam fluminis aquæ ſibi inuicem aſſiduè ſuccedentes, tranſeunt, *æternitate* ipſa non tran-

Explicat rem hanc tranſitũq; creaturarũ ſub æternitate S. Auguſtin. l. 1. Conf. c. 6.

transseunte. Hinc apud Boëtium Deus æternus est, *qui tempus ab æuo Ire iubet, stabilisq́; manens dat cuncta moueri.* Ex quibus IX.
manifestum est, cur *æternitas* etiam dicatur *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Non enim solùm in futurum non potest illa Dei vita terminari, sed neque etiam retro in præteritum potuit vnquam initij terminum accepisse: estq́ue tam *perfecta possessio*, vt non solùm omnia comprehendat, quibus Deus viuere cogitatur, sed etiam vt ex sua natura & ab intrinseco amitti non possit. Hinc quidam *æternitatem* sic definiunt, vt dicant, *esse durationem rei immutabilis, totam simul, ab intrinseco, principio & fine carentem:* & cum S. Iacobus *æternum* Deum describere vellet, dixit: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* *Iac.* 1. 17.

§. III. *Propriè dictam perfectamq́; æternitatem soli Deo competere, quantumq́; ea sit bonum?*

His de æternitate disputatis, facilè intelligitur, nihil creatum esse hoc modo *æternum.* Quanquam enim *æterna* beatorum *vita*, si essentiam & actus beatificos spectes, sit tota simul, adeoque *vnicus dies ve-* X.

Vide S. Dionys. de diuin. nõ. cap. 6.

spere

spere carens, non tamen *caret* ille dies suo matutino, aut initio : neque absolutè *tota illa vita simul possidetur.* Nullus enim illorum omnes cogitationes, omnes cognitiones, omnes amores, omnes affectus, omnes voluptates, quas per totam illam durationis infinitatem successiuè est habiturus, simul possidebit; sicut Deus non solùm quoad rei essentiam, sed etiam quoad omnia quæ in illa essentia spectantur, adeoque quo ad omnes motus vitales *vitam simul possidet interminatam.* Itaque ita est *æternus*, vt eius *æternitas* nunquam inchoata sit; beatorum *æternitas* inchoatur: Dei *æternitas* quo ad omnia est *tota simul*; *beatorum æternitas* non est quoad omnia *tota simul*: illa caret principio & fine; hæc fine caret tantùm; principio non caret: illa ita *perfectè possidetur*, vt nulla vi & potentia amitti possit; hæc tota à Deo pendet, cuius nutu posset vnico momento euerti. Constat igitur soli Deo propriè conuenire *æternitatem.* Cuius excellentia

XI. ex hoc quoque titulo crescit. Nam quãtumuis immane temporis spacium imaginemur mundi creationem antecessisse, adhuc Dei *æternitas* antecessit. Si ante mun-

mundum tot ſecula fingamus, quot ſunt in Oceano guttæ; adhuc nihil eſt ad durationem Dei. Si ponamus tot myriades ſæculorum fuiſſe ante mundum, quot atomos ipſe mundus poteſt capere, Deus ante hæc ſecula omnia fuit. Si omnes omnium arenarum, omnium cogitationum, omnium denique rerum numeros in ſe multiplicemus, nihilominus adhuc Dei *æternitas* infinitis ſeculis anteceſſit; qualiſque ab omni illa infinita duratione fuit, non dimidiata, non minima ex parte diminuta, talis erit in infinitam quoque poſthac durationem. Ex quo conijci poteſt, XII. quantæ capacitatis ſit mens diuina, quantæque perfectionis. Pone enim has tot ſeculorum ac durationum myriades, pone quot diebus, quot horis, omnibus denique momentis nouas ei ſapientiæ notiones, nouas veritates, nouas inuentiones, nouas delectationes occurriſſe per totam illam durationem, quàm infinitus horum actuum numerus per infinitam illam durationem occurret? Atqui iam de facto hæc omnia *ſimul* & ſemel ab illo *æternitatis nunc*, ex quo fuit Deus, poſſedit & comprehendit, vt pulchrè ratiocinatur Leſſius. *Leſſ. loc. cit.*

sius. Quantarum igitur rerum cognitio, quantarum veritatum & voluptatum thesaurus, quàm infinita infinitas in illo *simul* consistet? Et quia vniuersa bona Dei ex se infinities perfecta sunt intensiuè, accedente hac, ad singula, æternitate, duplicē insuper aliam intelliguntur habere infinitatem; vnam ratione durationis vtrinque in infinitum extensæ, alteram ratione collectionis in vnum quoddam *permanens punctum*. Facit enim *æternitas*, vt omnia bona, omnia gaudia, quæ infinito tempore successiuè percipi possunt, vno simul puncto collecta percipiantur. Igitur Deus in sua beatitudine bona infinita intensione, infinita duratione, infinita numero, & simul, & semper possidet ab omni *æternitate*, in omnem *æternitatem*. Talem aut hominibus, aut Angelis *æternitatem* non transcribimus. Solus enim Deus est *excel-*
Isa. 57. 15. *sus, & sublimis habitans æternitatem; & gigas seculorum.*

§. IV. Qualem beati æternitatem obtineant? & vnde ea oriatur?

XIII. Vt tamen ei, quà fieri poterat, etiam in duratione similes fieremus, sicut ille est

viuens

viuens in secula seculorum, & *viuens in sempiternum*, ita voluit & nos, qui ab *æterno* quidem nec fuimus, nec esse potuimus, saltem posthac *in secula seculorum*, & *in sempiternum* viuere. Hæc etsi non sit propriè dicta & adæquata, sed quodammodo dimidiata, est tamen à Deo participata, & in futurum infinitè extensa veraq; *æternitas*, diuinæ *æternitati* dissimilis quidem duratione retrò infinita, similis tamen duratione in futurum infinita & inexhausta. Hanc ob caussam de Elia & Henoch dicitur, *Hi sunt duæ oliuæ*, similes duobus *Cherubinis*, quos *ex ligno oliuarum* Salomon fabricauit *propitiatorium & arcam* sustentantes. In quibus omnes beati significantur, qui Ecclesiam sustentarunt. Omnes enim isti *oliuæ sunt*, hoc est, semper in gloria & felicitate duraturi. Est namque *oliua* symbolum *victoriæ*, *felicitatis*, *æternitatis*: quia lignum est solidum, quod non sentit cariem, non curat ventos, non patitur vetustatem. Qua de caussa M. Tullius: *sempiternam*, ait, *oleam in arce tenere potuerunt Athenæ.* Ac, Festo teste, *in triumphis ministri triumphantium oleagineis sertis coronabantur.* Ita sancti in cœlo triumphantes *æterni-*

Ap.10.6.
Dan.4.31.
Ap.11.4.
3.Reg.6.32.
Cic.1.de Legib.

ternitate coronantur, cuius rei figura sunt Elias & Henoch, per tot sæcula viui & vegeti, vnde & à Tertulliano *æternitatis candidati* appellantur. Candidati enim sunt, quia per tot seculorum vitam ad vitam *æternam* prouehuntur.
XIV. Quoniam verò *æternitatem* diximus non solùm fine carere, sed etiam ita *perfectam* esse *possessionem*, vt prorsus ab intrinseco sit inamissibilis, videndum est, quæ etiam in hac re sit similitudo, vel dissimilitudo, hoc est, an, & quomodo visio fruitioq́ue Dei beatis non possit eripi? Qua in re palam est, sicut Dei *æternitas* ac beatitudo necessariò atque ex natura sua existit, ita neque hominum, neque Angelorum beatitudinem, quin neque ipsos cœlos, neque animas, neq; Angelos aut vllam creaturam necessariò existere, si ad Deum comparetur; à quo, cum sit ex nihilo producta, adeoq́ue ex se nihil, continuò ac semper pendet, egetq́ue conseruari, sicut imago in speculo relucens; quæ recedente obiecto illico desinit. Si ergo Deus, testula, vt aiunt, transmutata, vel seipsum conspectui sanctorum, vel manum suam conseruationi eorum subduceret, itidem beatitudo illa extemplo de-

destrueretur, neque *æterna* esset. Posset autem id absolutè Deus. Quod non ignorantes sancti, assiduè considerant, se ad diuinam potentiam comparatos, adhuc esse, vt ita dicam, velut mortales, & destructioni obnoxios, si naturam suam, & non promissionem pactumque Dei spectent. Sciunt enim se ex propria natura nullam habere firmitatem, aut soliditatem; sed quidquid in illis stabile, quidquid immortale, quidquid æternum est; ex perpetua Dei voluntate, munere, atque influxu dependere. Qui influxus cum & liberalis sit, & absolutè liber, non nesciunt se, si Deus vellet, sua beatitudine excidere, & gloriam cum ignominia, immortalitatem cum morte, felicitatem cum miserijs, amorem Dei cum eiusdem odio, gaudium cum peccato, sanctitatem cum impietate, cœlum cum inferno posse commutare. Immo sciunt, se posse & ipsam voluntatem, & intellectum, & totam naturam suam, ac quidquid esse habent, perdere, atque in nihilum abire, vnde prodierunt. Hæc talia beati perpetuò meditantur, hæc penitissimè cognoscunt & perpendunt: vnde caussam capiunt, se se maximè humi-

Leonard. Less. lib. 3. de diuin. Perfect. cap. 3.

Hoc docet S. Cyrill. lib. 8. Thesauri. c. 2.

XV.

liandi & Deo ſubijciendi, eidemque infinita gratiarum actione laudes decantandi. Quanquam interim nihil illis hæc conſideratio affert timoris aut triſtitiæ, cum ex diuinæ promiſſionis, veracitatis, fidelitatiſque conſtantia certi ſint, ſe bona, quæ poſſident, nunquam perdituros. Quamobrem meritò ruborem inijciunt nobis adhuc inter fluctus & ſyrtes verſantibus, qui cum de ſalute noſtra certi non ſimus, neque adhuc in cœleſti illo portu, ſed inter ſpem & metum, inter tot Scyllas & Charybdes nauigemus, tamen criſtas ſuperciliosè erigimus contra Deum, neque eius omnipotentiæ, immo neque iuſtitiæ, & mandatis nos ſubijcimus; ſed pauonum inſtar, formosè oculatas & adulantes pennas, non itidem modeſtiæ præceptores pedes, & finem miſerandum, cui expoſiti ſu-
XVI. mus, contemplamur. Aliter ſancti in cœlo agunt; qui ſe totos Numini ſubmittunt, cum tamen perſpectum habeant, ſe & promiſſione, & ordinatione illius eſſe de *æterna* beatitudine ſecuros: immo cum clariſſimè videant, ſe nunc, ſi ad res creatas comparentur, eſſe immortales, ſuamque beatitudinem talis eſſe naturæ, vt à nulla

nulla creata re possit aut aboleri, aut impediri; vereque dici *hæreditatem incorruptibilem, & immarcessibilem.* 1.Petr.1. Esto enim diuina potentia posset incidere filum telãque illius beatitatis, reipsa tamen nunquam id faciet; atque insuper etiam prorsus nulla caussa reperiri potest creata, quæ illam beatitudinem valeat interturbare. Non minùs ergo beatitudo sanctorum, quàm cœli ipsi, quàm ipsæ animæ, quàm Angeli, immortalis erit & sempiterna. Quare non solùm non amittetur, sed etiam neque amitti poterit. Quod quia sancti probè norunt, ex hac ipsa cognitione securi redduntur. Nihil enim *securitas est aliud, quàm vacuitas timoris, proueniens ex certa cognitione boni non amittendi, vel mali non incurrendi.*

XVII. Porrò quòd sancti è felicitate sua excidere non possint, tunc facilè apparebit, si ponamus eorum felicitatem in visione fruitioneque Dei consistere. Cum enim totius visionis fruitionisque fundamentum sit *lumen gloriæ*, statuit diuina sapientia illud æternùm in sanctis cõseruare, tum quia pertinet ad statum illius vitæ, qui est status immutabilitatis & *æternitatis*, adeoque exigit, vt omnis quoque

perfectio illius ſtatus perpetuò conſeruetur: tum quia eſt ſumma quædam participatio & imago luminis increati, quo Deus ſeipſum videt. Si ergo animæ humanæ, aut naturæ Angelicæ, ob excellentiam ſuam, hoc eſt, quia ſunt imago diuina, perpetua quodammodo debetur conſeruatio, multò magis debebitur eadem *lumini gloriæ*, quo & animæ, & Angeli ad ſummam Dei ſimilitudinem & viſionis amoriſque vnionem eleuantur. Habemus igitur *æternum* in beatis *gloriæ lumen*. At lumine hoc admiſſo, poſitoque diuino concurſu, qui lumini huic intellectuique debetur, (cum diuina eſſentia ſit menti beatorum intimè præſens, quæ proinde ſe ab illa auertere nequit) neceſſariò exiſtit diuinitatis viſio, atque ex viſione rurſus amor, & gaudium, quæ duo nomine fruitionis intelliguntur. Sic ergo ex *æterno gloriæ lumine*, *æterna* viſio; ex *æterna* viſione, *æternus* amor & delectatio; atque ita *æterna* quoque enaſcitur beatitudo.

§. V. *Quinam fructus ex meditatione æternitatis colligantur?*

XVIII. Hæc ſanctorum *æternitas* multiplices in mor-

mortalibus creat fructus. Hinc Dauid ait: *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.* Quamobrem, ô Propheta? Quia *cogitaui dies antiquos: & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Optimè spiritum, quasi *scopæ* quædam, expurgant & exercent nocturnæ diurnæque meditationes *æternitatis*, & *dierum antiquorum*, à quibus ipse Deus *antiquus dierum* appellatur. Primò quia facilè eligit *abiectus esse in domo Dei*, qui cogitat, *meliorem diem vnam esse in atrijs Domini super millia.* Nam vt Salomon ait, *Si multis annis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguetur præterita.* Profectò enim *annos æternos in mente* non *habet*, quisquis neglecta *æternitate*, tam modici temporis gaudio se se totum addicit mancipatque.

Ps. 76. 5. Dan. 7. 9. Ps. 83. 11. Eccl. 11. 8.

XIX. Secundò quicunque *annos æternos in mente habet*, non sinit se terreri *momentaneo leuiq́; tribulationis*, scilicet *non contemplans, quæ videntur, temporalia, sed quæ non videntur, æterna.* Sic viator libenter iniectum riuulo pontem transit in campum 2. Cor. 4. 17.

floridum peruenturus. Iucundum palácium facit, vt etiam per iniucundam portam libenter intremus: quia in illo iucundo diu manetur, per iſtud iniucundum tantummodo tranſitur. *Exigua & calamitoſa eſt hæc noſtra vita*, ait S. Baſilius, *apud te verò, qui æternus & ſempiternus es, etiam mille annorum numerus vni diei ſimilis eſt.* Immò, teſte Caſſiodoro, *non vel ipſi vni diei præſenti, ſed præterito* (& heſterno) *comparatur tam longiſſimus ordo ſeculorum.* Tertiò, quia, qui *annos æternos in mente habet*, non ſolùm *momentaneum* exiſtimat, quidquid pro *æterno illo gloriæ pondere* cogitur ſuſtinere; ſed etiam graue ac moleſtum eſſe cenſet, quidquid illum extra *æternitatem* delectat. Vnde exclamat: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!* Mirificè enim afficit & extollit *æternitas* id, cui iungitur. Hinc ſeu cum pœnis, ſeu cum præmijs iungatur, in infinitum vel dolores, vel voluptates extendit. Tribuit enim eis durationem infinitam, atque ita in infinitum quodammodo multiplicat. Si enim vnius horulæ acutus morbus magnum malum; feruida voluptas magnum eſt bonum; profectò maius malum, aut bonum erit,

S. Baſil in Pſal. 89.

Caſsiod. in eund. Pſal.

XX.

Pſ. 119. 5.

Leſſ. loc. cit.

erit, si dolor, vel voluptas, per integrum diem, per solidam hebdomadem, per totum mensem, immo per annum, & per annos protrahatur. Ergo centum annorum deliciæ, aut cruciatus pluris fient: & mille annorum in decuplum pluris æstimabuntur: ac si deinceps ampliùs crescant, ampliùs æstimabuntur: quoque diutiùs procedent, vel meliores, vel peiores efficientur. Quare *æternitas* aut gloriam, aut pœnam infinita duratione afficiens, faciet aut illam infinitè præstantiorem ac iucundiorem, aut istam infinitè peiorem ac acerbiorem. Quod probè nouit patientissima virgo Lyduuina, quæ flagitioso homini scelerum horrorē non aliter incussit, quàm quòd eum mollissimis plumis in vnum latus, vel vnica nocte, incumbere iuberet. Quod quidē ille consilium albis dentibus risit. Atqui cum id ipsum in tanta plumarū mollitie, tantillo tempore, non posset, facilè cogitauit, quid futurum esset, si in flammarum calore olim sic æternùm iacere cogeretur. Itaque facinorosus esse desijt, vna nocte à plumis ipsis de dura illa æternitate eruditus; quam vtique multum ad supplicium flammarum

Io. Bruggmanus in eius Vita, & Sur. 14. April.

rum allaturam cogitauit, si vel vnica nox plumas ipsas tam duras fecisset. Multum ergo momenti vel gaudijs, vel pœnis addit infinitudo. Accedit, quòd etsi non omnia gaudia beatorum, nec omnia supplicia eorum, qui sunt in inferno, simul existant, tamen ipsa sua *æternitate* in vnum quodammodo colligantur & sentiantur. Quanquam enim hæc simul non existant, facit tamen *æternitas* vt simul apprehendantur, & hoc pacto vel infinitum gaudium illud, vel infinitum supplicium simul repræsentent, ac per apprehensionem iam tum simul inferant, quidquid
XXI. sentietur in omni *æternitate*. Quàm vehementer ergo necesse est accendi mortales desiderio *annorum æternorum*, si quidem ita vitam agitant, vt possint præmium sperare? Certè qui se supplicijs digna facere nôrunt, nulla re potentiùs percelluntur, quàm *æternitate*. Hæc enim illos monet infiniti & *æterni* boni iacturam in peccato, quod tantopere amant, contineri; nec iacturam tantùm tam immensi boni, sed etiam maximi & *æterni* damni ac infinitorũ tormentorum necessitatem. Itaque sicut nullum bonum maius sentiri potest, quàm

æter-

æterna possessio boni infiniti & *æterni, æternus* Paradisus, *æterna* lux, *æternum* conuiuium, *æterna* lætitia, *æterna* laus, *æterna* iubilatio, *æternus* triumphus, *æternus* pulcherrimi Dei aspectus; & quidquid bonorum optari potest: ita vicissim nullum inter omnes pœnas malum grandius, nullum amarius aut inferri potest, aut intelligi, quã *æterna* amissio boni infiniti ac *æterni: æternus* ignis, *æternus* carcer, *æternæ* tenebræ, *æterna* fames & sitis, *æternum* frigus, *æternus* dentium stridor, *æterna* tristitia, *æternus* vermis, *æterna* comploratio, *æternus* fætor, *æternus* horror, *æternus* luctus, & quidquid malorum potest formidari. Et si vel XXII.
hæc omnia mala *æterna* impijs non impenderent, quem non alliceret, si seriò vellet secum expendere longam illam tot bonorum *æternitatem?* Quis tam demens esset, vt ob breuem & inanissimam vulgi adulationem, *æternos* honores; ob fluxas istas & terreas opes, *æternos* thesauros; ob titulos etiam indignissimis dari solitos, & cum ipso verborum sono desinentes, *æternum* nomen, *æternamq́;* gloriam amittere vellet? Quis sanæ mentis eum esse existimat, qui vt vnicam horam possit perpotare, ma-

uult

uult toto reliquo vitæ tempore in extrema inopia esuriem pati? Nam cogitemus præmia illa cœlestia ad mille annos desitura, nonne incredibilis foret insania, malle annis etiam octoginta, ne dicam, breuissimo die, eoque multis malis interturbato, exiguam delectatiunculam captare? & *pro lente primogenita vendere?* Quàm longè stultior amentia esset, si præmia illa centum millibus annorum perdurarent? si centies millies mille annos? Nempe tanto maior dementia foret, quanto maius diuturniusque bonum negligeretur, & malum incurreretur. Quare cum bona negligantur *æterna*, & mala infinita incurrantur per quoduis peccatum mortale, profectò necesse est infinitis modis dementire eos, qui hæc omnia insuper habentes, scelera quotidie sceleribus accumulant, & pro vnico osculo, pro vnico aspectu, pro vnico tactu, pro vnica obscæna cogitatione, sponte amittunt felicissimam illam *æternitatem*; & quasi extra se positi, sponte insiliunt in *æternam* istam calamitatem.

XXIII. O qualem quantamq; felicitatem! aut quam calamitatem! *æternam*, indesinentem, semper duraturam; ad quam omnis nume-

numerus annorum, omnis seculorũ multitudo, nihil aliud est, quàm vnicum momentum. Finge formicam post centum semper annos è vastissimo Oceano bibentem; quantus annorum numerus transibit antè, quàm Oceanus exhauriatur? Et tamen vbi totus fuerit exhaustus & siccatus, adhuc nihil erit demtum de *æternitate.* Finge totum terrarum & aquarum orbem in minutissimas coalescere arenas, ex his arenis post mille semper annos, vnica arenula auferatur, quandonam tandem arenæ tantus cumulus tam tarda amolitione euacuabitur? quot annorum chiliades, quot seculorum myriades transibunt? Et tamen tandem euacuabitur. Euacuabitur arena, non euacuabitur *æternitas*; sed tunc etiam adhuc tantum de ea restabit, vt videatur primùm incœpisse. Finge denique totum istum mundum, quantum quantum à centro terræ vsque ad verticem firmamenti intercurrit spacium, id omne confertissimis atomis impletũ habere. Ex eo toto tam innumero numero, post singula decem annorum, immo seculorum millia, vnicus demum atomorum euanescat. Quantis, obsecro, myriadum

myria-

myriadibus opus erit, vt omnes atomi tādem in nihilum redigantur? Quis tam accuratæ ſupputationis Arithmeticus eſt, quis Euclides, quis Archimedes, qui poſſit totius numeri rationem inire? Et tamen hic ipſe tam immenſus numerus atomorum, ſi poſt tot ſeculorum innumerabiliter millia, totus ſenſim fuerit ſublatus, *æternitas* adhuc tam immenſa ſtabit, vt nihil ei detractum videatur: ſed & beatis illis cœli indigenis etiā tum ſua gaudia tam integra & diuturna ſupererunt, & damnatis adhuc ſua ſupplicia tam prolixa reſtabunt, ac ſi tunc primùm in illo ipſo momento incepiſſent. Sic poſt omnem, quātamcumque vel hominis mens, vel Angeli intellectus comprehendere poteſt, durationem, adhuc *æternitas* nondum erit imminuta, ſed ſemper tam recens erit, ſemper tantum adhuc poſt ſe relinquet, vt eo vſque nihil, niſi initium merum fuiſſe exiſtimetur.

XXIV. O quem hæc cogitatio non emolliat, etiamſi ſilex ſit, etiamſi adamantem animo induxerit? Quid vel optabilius amabiliuſque hac gaudiorum, quid terribilius deſperatiuſque hac tormentorum *æternitate*? Nihil potentius ad


ani-

animum noſtrum in rebus aduerſis firmā-dum & excitandum. Nihil efficacius ad affectum noſtrum, à peccatis & illecebris ad ſummum malum, ſummiq́; mali cauſ-ſam allicientibus, retrahendum. Quem-cumque ſex, ſeptem, aut triginta anno-rum labores fatigant, ad mercedem *æter-nam* aſpiciat. Quemcumque voluptates titillant, pœnam cogitet *æternam*, quę ſub-ſequetur: profectò nec hic ſe blanditijs, nec ille moleſtijs vinci patietur. Quod nō ignorantes Apoſtoli cœlum, infernum, immortalitatem, & *æternitatem* vbique impenſiſſimè inculcauerunt. *Apoſtoli*, ait S. Hilarius, *ſunt rerum cæleſtium prædicato-res, & æternitatis velut ſatores, immortalita-tem omnibus corporibus, quibus eorum ſermo aſperſus fuerat, conferentes.* Et Sapientis ve-ra monitio eſt: *In omnibus operibus tuis me-morare nouiſſima tua, & in æternum non pec-cabis*, ſi memineris te vel *æterna* ſupplicia, vel *æterna* præmia meriturum. S. Hilar. in cap. 5. Matth. ꝟ.13. Eccli.7.

XXV. Ex his ſatis apparet, quamnam Beati obtineant *æternitatem*? Quamuis enim non habeant illam, quæ vt Deo propria deſcribitur, habent tamen eam, quæ fine caret, & vera eſt *æternitas*, itaque propriè

dicta,

dicta, ſicut de creatura vllo modo dici poteſt, eam eſſe, *non ab æterno, ſed in æternum æternam*, hoc eſt, *æuiternam*: quod omnino ſatis eſt ad ſecuritatem gaudiorum. Quãquam, ſi rem altiùs rimari placet, ipſa quoque Dei *æternitate* aliquo modo perfruuntur ſancti. Eſto enim ab *æterno* non potuerimus exiſtere, vt adeò neque extitimus, Deum tamen *æternum* in cœlo poſſidebimus, cuius proinde totum illud bonum *æternum* etiam noſtrum erit, atque ita illius quoque *æternitate* lætabimur; mentem etiam retrorſum & antrorſum in *æternitatem* illius mittentes, vt nos totos in illum, cum quo vnus ſpiritus erimus, immergamus. Quare non tantùm gaudebimus de bonis diuinis, quòd in *æternum* non ſint deſitura, ſed etiam quòd ab *æterno* fuerint continuata. Sic in vnum collecta, noſtra erunt etiam illa; nam quæ ab *æterno* noſtra eſſe non potuerunt habendo, in *æternum* tamen noſtra erunt gratulando.




Caput

Caput XI.

DE SOCIETATE IVCVNDISSIMA BEATORVM, SOCIETATEM LABYRINTHI INFINITIS REBVS SVPERANTE.

§. I. *Quantum boni sit in vicino, aut socio bono? vel mali in malo?*



HEMISTOCLES clarissimus Atheniensium dux arguti vir ingenij, prædium quoddam venditurus, cum id per præconem proclamari iussisset, hoc quoque præconem iussit addere, *quòd vicinos haberet bonos:* existimauit nimirum acerrimi iudicij homo, tanti bonorum conuictum & consuetudinem referre, vt prædium ipsum commendatione vicinorum longè vendibilius esset futurum. Et apud Comicum quoque Lysimachus ait: *Nunc ego verum esse illud verbum experior, aliquid mali esse, propter vicinum malum.* Quemadmodum etiam Ætolis & Acarnanibus euenit, qui inter se finitimi cùm essent, mutuis se se cladibus euerterunt. Ac sæpe contingit, vt qui læti sunt animo, ipso tristium aspectu contrahantur. Neque enim libet nobis inter lachrymantes ridere; sicut etiam non rarò

I. *Plutarch. in Themistole.*

Plaut. in Mercat.

mæſti lætorum aſpectu gaudijſque exhilarantur. Vno verbo, rectè cecinit Heſiodus, *vicinum vel noxam eſſe, vel maximam commoditatem.* Qualem igitur conuictum, qualeſque vicinos habuêre, quos celeberrimus ille habuit Ægyptiorum *Labyrinthus?* In primis *omnes Ægypti Deos*, ſeu potiùs lapides atque ſimulachra deorum. Deinde *reges regumq́; ſtatuas.* Tum *Præfectos* & *Satrapas.* Item *ſacros viros ac mulieres.* Nec non *qui ius dicebant*, & vniuerſim aulicos turbamq́; appendicem, quæ ſolet aulicos vel neceſſitate, vel ambitione cōitari. Vt ſunt cupedinarij, ſeplaſiarij, popinarij, myrobaptrarij, myrobrecharij, manulearij, tibicines & tibicinæ, lanarij, patagiarij, induſiarij, flammearij, violarij, carinarij, propolæ, linteones, calceolarij, diabathrarij, ſolearij, molochinarij, ſtrophiarij, ſemizonarij, limbolarij, propolæ, & phylaciſtæ, & ſexcenti de fæce infima mortalium, immo & mortuorum. Nam & mortuos habuit *Labyrinthus.* Quippe præpoſiti Ægyptiorum dicebant, *in ſubterraneis Labyrinthi ſepulchra eſſe tum eorum regum, qui ædificandi Labyrinthi fuêre autores, tum ſacrorum crocodylorum.* Ita non homines tan-

Heſiod. in opera & die.

II.

Plin. l. 36. cap. 13.

Strabo lib. 17.

Herodot. lib. 2.

tantùm puluerei, & reges cadauerosi, sed & vermes etiam mortui ac deformes bestiarum exuuiæ inter illas delitias condebantur. Quantum ergo gaudij ex conuictu Deorum, regum, satraparum, præfectorum, sacrorum virorum ac mulierum, iudicum, ac aulicorum potuit *Labyrinthi* incolis nasci; tantum luctus & mæroris nauseæque & fastidij illis accessit ex conspectu cadauerum, & bestiarum mortuarum. Vsque adeò nihil merum est, quod mortales delectat. Mæsta lætis, mors ipsa vitæ permiscetur. Talis est totus iste terrarum orbis, semper bona ita serit, vt mala sint vicina, & in propinquo vna crescāt. III.
Mundum istum attendite, ait S. Augustinus, *decorem habet. Quem decorem habet terra, mare, aër, cœlum, sidera? Omnia hæc, nonne omnem considerationem terrent? Nonne pulchritudo ipsa sic eminet, vt quasi pulchrius nihil inueniri possit? Et hîc viuis in isto decore, in ista pulchritudine, propè iam ineffabili. Hîc viuunt tecum & vermiculi, & mures, & omnia terræ repētia & serpentia, ista tecum viuunt in decore isto. Quale decus est illius regni, vbi tecū non viuunt nisi Angeli? Non nisi Angeli,* ait, quia etiam homines *in resurrectione neque* *S. Augustinus in Psal. 144.* *Matth. 22.30.*

nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut angeli Dei in cælo.

§. II. Beatorum quænam ſocietas? ibi quàm varij? quàm boni? quàm magni ſocij?

IV. Quanta ergo erit & hæc felicitas beatorum? Non enim ſolùm regni maieſtas, nec altiſſimæ ſedis ſecuritas, nec formoſiſſimi loci amænitas, nec gaudiorum æternitas; ſed etiam Angelorum exoptatiſſima ſocietas eos opulentabit. Hîc in terris *viuunt & vermiculi, & mures, & omnia terræ repentia & ſerpentia*, immò leones & dracones: & quod his omnibus immanius eſt, monſtra ipſis ſuperis exoſa; fures, raptores, prædones & latrones, adulteri & venefici; vt neſcias inter quos incedas; meritoque cenſeas in hoc Mundo *aliquid mali eſſe, propter vicinum malum.* Quod deque-
Iob. 30. 29. ſtus Iob dixit: *frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* Hinc *cutis mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præ caumate. Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meũ in vocem flentium.* Nempe nullum terræ gaudium abſynthio caret, non poſſumus enim ſincerè lætari inter *dracones & ſtruthiones.* Plena enim terra eſt miſerijs, quia plena

plena bestijs: & eò plenior, quia etiam ipsi homines solent in bestias degenerare. Cœlestis igitur domus hoc ipso etiam nomine magis est appetenda, quòd in ea quisque non efferatas in hominum perniciem belluas, non *dracones* sanguinis sititores, non *struthiones* ferri cōcoctores, sed prorsus vicinos sociosque bonos sit habiturus. Quos autem vicinos? quos socios? Angelos ipsos, ipsum Dominum Angelorum, & quotquot vitam hîc angelicè traduxerunt. *In huius vitæ misera conditione sæpe contingit*, ait S. Augustinus, *vt credatur vel amicus esse, qui inimicus est: vel inimicus, qui amicus est: quid nos consolatur in hac humana societate erroribus ærumnisq; plenissima, nisi fides non ficta, & mutua dilectio verorum bonorumq; amicorum?* Vbi ergo sunt veri, vbi boni, & soli boni amici? Respondet idem S. Pater: *In societate sanctorum Angelorum, quam Philosophi illi, qui nobis deos amicos esse voluerunt, quarto constituerunt loco, velut ad mundum venientes ab orbe terrarum, vt sic quodammodo complecterentur & cælum.* Melius ipse S. Augustinus complexus est cœlum, & veram cæli societatem, Hierusalem sanctam sic compellans: *Non lucet in te lux lu-*

S. Augustinus lib. 19. de Ciu. cap. 8.

V.

Eod. lib. cap. 9.

Lib. Medit. c. 25.

cernæ, aut splendor Lunæ, vel iubar stellarum: sed Deus de Deo, lux de luce, Sol iustitiæ semper illuminat te. Agnus candidus & immaculatus, lucidum & pulcherrimum est lumen tuũ. Sol tuus, claritas tua, & omne bonum tuum, huius pulcherrimi regis indeficiens contemplatio. Ipse rex regum in medio tui, & pueri eius in circuitu eius. Ibi hymnidici Angelorum chori, ibi societas supernorum ciuium. Ibi dulcis solennitas omnium ab hac tristi peregrinatione ad tua gaudia redeuntium. Ibi Prophetarum prouidus chorus, ibi duodenus Apostolorum numerus, ibi innumerabilium martyrum victor exercitus, ibi sanctorum confessorum sacer conuentus, ibi veri & perfecti monachi, ibi sanctæ mulieres, quæ voluptates seculi, & sexus infirmitatem vicerunt, ibi pueri & puellæ, qui annos suos sanctis moribus transcenderunt, ibi sunt oues & agni, qui iam huius voluptatis laqueos euaserunt, exultant omnes in propriis mansionibus, dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium. Hæc de cœlesti societate S. Augustinus.

VI. *S. Bonau. lib. 3. seu part. 3. Stimuli Amoris cap. 20.*

Et S. Bonauentura, *Ad contemplandam quietem omniũ,* inquit, *de cœlesti Hierusalem aliquid balbutiendo prorumpam. Nam locus est altissimus, splendidissimus, latissimus, & firmissimus. Societas*

cietas est nobilissima, speciosissima, benignissima, purissima, incessabilissima, id est, nunquam cessabit, neque remittetur. Ibi habebimus Dominum potentissimum, excellentissimum, iustissimum, & liberalissimum, Patrem nobilissimum, ditissimum, prouidentissimum, & piissimum; fratrem simillimum, curialissimum, sapientissimum, & optimum; sponsum pulcherrimum, singulariter summum, suauissimum, & amore feruentissimum. Quantum ad nos, erit ibi aperta visio, firma tentio, consummata dilectio, continua laudatio, reuerentia profundissima, admiratio altissima, exultatio sanctissima, & deuotio intima; & in corpore erit agilitas, claritas, sublimitas, & impassibilitas. Ex prædictis omnibus consurget fruitio perfectissima, satietas sufficientissima, sobrietas sobriissima, voluptas pudicissima, cordialis diffusio, iucundissima amplexio, seu complexio, medullaris transformatio, centralis quietatio, omnis amænitas, omnis suauitas, omnis securitas, & omnis libertas: quia ibi liberi erimus ab omni iniuria, violentia, culpa, & miseria. Quid enim à Christo redemtore & coronatore, à Maria matre Virgine, à protectoribus Angelis & Archangelis, à triumphatoribus Patriarchis & Prophetis, ab Apostolis

in ſalutem noſtram miſſis, à Martyribus de quorum ſanguine nos creuimus in fide, ab Eremitis, à Doctoribus, à Confeſſoribus, à Virginibus ibi ſanctis timeremus? cum ita ibi ſint conſtituti, vt bonorum ſuorum nos participes facere velint, malorum participes reddere non poſſint.

§. III. *Beatos Angelis, Chriſto, ipſi Deo fore ſimiles, & quanam in re?*

VII. Et huiuſcemodi omnes erunt beati; vt & omnes, & ab omnibus ſint tuti. Nimirum verè erit ſocietas Angelica, ſocietas Chriſti, ſocietas ipſius Dei. Nam vna erit tunc ciuitas & hominum & Angelorum. Quod autem Chriſtus eos in perpetuos
Io.12.26. ſocios aſciſcat, ipſe teſtatur: *Vbi ego ſum,*
Io.17.24. *illic & miniſter meus erit.* Et rurſum. *Pater quos dediſti mihi, volo, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meã.* Deni-
Io.12.26. que de Patre ait. *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit illum Pater meus;* non vtique ſe illi ſubducens. Quare in cœlo non tantùm inter ſe ſe, ſed etiam cum Angelis, cum Chriſto, cum Deo beati ſociabuntur. quis neget cum Deo quoque? cùm beatitudo ipſa conſiſtat in ſumma men-

tis,

tis cum summo bono coniunctione. His insuper etiam omnibus similes efficientur beati. Angelis quidem, quia *erunt, sicut Angeli Dei in cælo.* In quanam re? in castitate, puritate, integritate, quia *neque nubent, neque nubentur.* Si ergo casta, si pura placent, si integritas in re omni sitientissimè appetitur, erit profectò, & quod placet, & quod tantopere approbatur, etiam in illa societate. Ac ne quis existimet animas tantùm sanctas similitudine hac Angelorum decorandas, docet nos Apostolus corpus quoque beatorum vt in terris patiendo, sic tunc splendendo, simile fore corpori Christi, dum ait: *Nostra autem conuersatio in cœlis est, vnde etiam Saluatorem expectamus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem, qua etiam possit sibi subÿcere omnia.* Vbi procliue est intelligere, corpora sanctorum fulsura, sicut & Christi corpus fulsit in monte Thabor, immo sicut fulget in cœlo, quamuis vt minores ipsi, ita & luce minore. *Sicut* enim *stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum.* Et S. Augustinus: *In multis,* inquit;

Matth. 22.30. Marci 12.25.

VIII.

Phil. 3.20.

1. Cor. 15. 41.

August. de Virgin. cap. 26.

quit, *mansionibus honoratur alius alio clariùs.* Nemo ergo clariùs Christo: cuius claritati in luce, non in tanta luce configurabimur; quemadmodum & in ceteris dotibus corporis gloriosi, immo in ipsa quoque visione. *Nam Deus*, ait D. Augustinus, *totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus: quãuis in quibus habitat, habeant eum pro sua capacitatis diuersitate, alij amplius, alij minus, quos ipse sibi dilectissimi templum gratia suæ bonitatis ædificat.* Et teste Sancto Gregorio, in illa verba Iob; *Paruus & magnus ibi sunt: Quo hîc alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendit.*

S. Augustin. ep. 57. *S. Gregor. lib. 4. moral. c. 43.* *Iob. 3. 19.*

IX. Ex quibus etiam clarum est, magnam, nequaquam tamen ad omnes mensuras parem sanctos cum Deo similitudinem habituros. Non enim eadem est creaturæ, quæ Creatoris capacitas, non eadem proportio finiti, & infiniti. Similes fore S. Paulus affirmauit his verbis: *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui.* Ac ne de filij humanæ duntaxat naturæ conformitate loqui videatur, ait alius Apostolus: *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus,*

Rõ. 8. 29. *1. Io. 3. 2.*

mus, quoniam videbimus eum sicuti est. Cui erimus similes? ipsi Deo, non tantùm humanæ filij Dei naturæ. In qua re erimus similes? *quoniam videbimus eum, sicuti est.* Ratio igitur similitudinis in visione consistet: quia visio Dei est quædam expressa diuinæ essentiæ diuinarumque personarum similitudo & imago, perquam beati Deo simillimi, tanquā dij quidam, vel filij Dei efficiuntur. Quippe etiam profana Philosophia ait, intellectionem fieri, per intellectus cum re intellecta assimilationem: quin etiam intellectum ipsum intellectione transformari, & fieri rem ipsam intellectam, quòd eius similitudinem induat, eique non quidem naturæ conformitate, sed repræsentatione, sicut pictura prototypo, similis efficiatur. Quare etiam visio Dei, quæ est perfectissima intellectio, perfectissima assimilatione peragetur, mē-temque nostram Deo similem, ac Deiformem efficiet. Quæ omnia eleganter confirmat S. Augustinus, cuius hæc sunt. *Omnis secundum speciem notitia, similis est rei, quam nouit.* Et infra. *Habet ergo animus nonnullam speciei notæ similitudinem, siue cum ea placet, siue cum eius priuatio displicet. Quocirca in*

S. Augustin lib. 9. de Trin. c. 10. c. 11.

ca in quantum Deum nouimus, ſimiles ſumus, ſed non ad æqualitatem : quia non tantum eum nouimus, quantus ipſe eſt. Atque alio in loco ſcribit. *In anima tunc perfectam fore Dei ſimilitudinem, quando Dei perfecta erit viſio.* In viſione ergo conſiſtet, hæc ſanctorum cum Deo ſimilitudo. Si igitur *omne animal diligit ſimile ſibi : ſic & omnis homo proximum ſibi :* Si *omnis caro ad ſimilem ſibi coniungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur* : Si ſimilitudo eſt mater amoris : Si *ſimilis* denique *ſimili gaudet*, quanta erit in cœlo inter tot ſimiles & ſimilitudines copia gaudiorum? Quanta voluptate perfundentur ſancti illi homines, cum viderint, ſe Angelis, Chriſto, ipſi Deo ſimiles euaſiſſe, tandemque longè meliùs recuperâſſe id, quod peccator Adamus amiſit, quem initio Deus *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* creauit? Neque vnuſquiſque tantùm ſua ſimilitudine iſta gaudebit, ſed exhilarabit illum etiam eadem ſimilitudo in alijs quoq; conſpecta, & quidem, quod maximè mirandum, in diuerſiſſimis erit iſta ſimilitudo. Vt & ſimilitudo pariter, & varietas delectet. Hinc S. Cyprianus omnes ad hanc ſocietatem inuitans, *Patriam,*

Idem l. 14. cap. 17.

X.

Eccl. 13. 19. Ibid. v. 20.

Gen. 1. 27.

S. Cypriā. l. de mortalitate, in fine.

triam, inquit, *nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus, quid non properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de suâ immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in communi nunc lætitia est? qualis illic cælestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quàm summa & perpetua felicitas? Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus, triumphantes illic Virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis continentiæ robore subegerunt, remunerati misericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum Iustitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta seruantes ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos fratres dilectissimi, auidâ cupiditate properemus, vt cum eo citò esse, vt citò ad Christum venire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis &*

fidei

fidei Dominus Christus aspiciat, daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum circa se fuerint desideria maiora. Sic S. Cyprianus ad sanctorum variam similitudinem, & similem varietatem aspirauit, nosque aspirare voluit, vt & ipsi aliquando similitudine tali gauderemus.

XI. O quàm longè meliùs erit virginibus illis, confessoribus, martyribus, Apostolis, Angelis, Christo, ipsi Deo nos ibi similes effici; quàm in inferno Acheronticis illis monstris, Iudæ, adulteris, infidelibus, desperatissimis hominibus, immo dæmonibus assimilari? Et tamen his in damnatione assimilabuntur, quotquot nunc eorum similitudinem vita & moribus exprimunt; quemadmodum & in cœlo *erunt sicut Angeli Dei*, qui in terra vixerunt ita, vt pro Angelis terrenis meritò possent haberi. Siquidem illam similitudinem in altera vita continuabimus, quam nunc in ista inchoamus. *Papæ,* exclamat S. Chrysostomus, *illine, qui ad dexteram Patris sedet, conforme fiet hoc corpus? illi, qui adoratur ab Angelis? illi, cui astant incorporales illæ virtutes? illi qui est super omnem principatum, potestatem, & virtutes, illi conforme fiet? Si ergo totus orbis lachrymis*

Matth. 22.30. Marci 12. 25.

S. Chrys. in ep. ad Philip. 3.

mis sumtis eos defleret, qui ab ista spe deciderunt, num dignè collachrymaretur; quòd cum promissio nobis sit facta, corpus nostrum futurũ ita glorioso Christi corpori conforme, illi cum Dæmonibus abeunt? Quantò satiùs esset ita viuere, vt possemus beatam similitudinem sperare? Sed quoniam illis nos similes aut esse, aut fore, magis gaudemus, quorum maior est felicitas & bona excellentiora, perpendamus paululum, quales nam in anima futuri sint beati? de quorum corporeis voluptatibus nõn nihil supra diximus.

Caput XII.

QVALIS SIT FVTVRVS INTELLECTVS BEATORVM, SIMVLACHRA LABYRINTHI ORNATVMQVE SVPERATVRVS?

§. I. Intellectus beatorum, ob vnionem cum summo bono, summè ornatus.



AB intellectu incipiamus. Is mihi similis videtur calici crystallino, qui quanquam per se lucet & pellucet, ac suapte natura commendabilem habet puritatem, longè tamen elegantior efficitur figuris adamante in eum incisis: quantoque ea, quæ inciduntur, plus artis & elegantiæ habent, tanto & I.

to & ipſe formoſior precioſiorque redditur. Quemadmodum & aulæa Babylonica, aut Sidonij tapetes acu Phrygia picti: illi enim tametſi materia ipſa præſtent, multò tamen pluris fiunt, ſi heroum virtutes exprimant, & per Phrygiones figuris coloribuſque ſcitè varientur. Quin & aulæ quoq; Principum ac Regum adeuntium oculos merentur præcipuè, admirationemque faciunt, ſi eas vndique ſplendidis imaginibus eruditus penicillus adornauit; aut ſi marmoreæ, æreæ, vel etiam de ſumtuoſiore materia factæ ſtatuæ atria porticuſque illarum circumſecus adimpleuerunt. Quocirca etiam qui *Labyrinthum* laudibus extulerunt, *columnas, ſtatuas, pyramides, templa, Deorum ſimulachra, monſtrificas effigies, circumcolumnia, tabulata, aulas, cryptas, marmora, lapidem album, ſculptileſq́ figuras* dicere non omiſerunt. Nempe his talibus rebus viſendis etiam pulchra magis ornantur.

II. Talis erit intellectus beatorum cryſtallo lucidior puriorque; atque, vt plus habeat claritatis, iucundiſſimo etiam *lumine gloriæ* colluſtrabitur. Inſuper in eo ad ornatum quàmplurimi erunt, ſiue habitus ſiue actus ſcientia-

entiarum. Ibi rerum omnium figuræ, non adamante incisæ, non acu, aut penicillo pictæ, sed liberalissimo Dei dono prouenientes elegantissimè relucebunt. Quid multa? Deum ipsum, & in Deo omnia, quę desiderari possunt, cognitionibus pulcherrimis mens beata videbit. Quid igitur pulchrius erit intellectu Deum vidente? Hæc visio efficiet, vt non iam socij & amici tantùm, nec similes duntaxat Deo fiamus, sed vt ipsi Deo inseparabiliter iungamur & vniamur. Qua re nihil potest maius optabiliusúe excogitari.

III. Multum enim hallucinati sunt Philosophi gentiles, qui de extremo hominis fine disceptantes, beatitudinem summam vel in honoribus, vel in opibus, vel in voluptatibus, vel in re quapiam alia creata collocauerunt. Quorum opiniones Lactantius & Ambrosius ad denas, Augustinus autem, ex Varronis sententia, reuocat ad duodenas. Et Aristoteles, *omnes*, inquit, *velle opiniones eorum exquirere, superuacaneum fortasse est.* Nulla earum ad summum bonum ascendit, nulla Deum infinitum attigit, qui solus veritatis & bonitatis suæ plenitudine explere potest infinitam hu-

Lactant. diu. Instit. l. 3. c. 7. S. Ambr. lib. 2. officior. c. 2. S. August. 9. de Ciuit. c. 1. Arist. 1. Ethic. cap. 4.

 manæ

manæ mentis capacitatem. Qui quia etiam solus res illa est, qua obtenta verè beati reddimur, haud inconueniēter in scholis *beatitudo obiectiua* nominatur. Et de seipse ad Abrahamum id testatur his verbis: *Ego protector tuus sum, & merces magna nimis*; extra quam nihil est desiderio immortalis animæ dignum. Quocirca considератè regius ille Dauid dixit: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Sectentur alij alias hæreditates, habeant sibi res suas, sit illorum pars pecunia, sit terra, sit dignitas duos, tres, immo triginta annos durans: *pars mea Deus in æternum*; *Qui replet in bonis desiderium* meum. *Hic est verus Deus & vita æterna.* Siquidem, vt Irenæus ait, *gloria hominis est Deus.* Et teste S. Augustino, *sicut non est à carne, sed super carnem, quod carnem facit viuere: sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beatè viuere: nec solum hominem, sed etiam quamlibet potestatem virtutemq́ cælestem. Quocirca, vt vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est. De quo dicunt sacræ litteræ Hebræorum: Beatus populus, cuius est Dominus Deus ipsius.* Pulcherrimè D. Gregorius Nazianzenus: *Deus*, ait, *intelligibi-*

Gen. 15. 2.
Ps. 72. 25.
Psal. eod. v. 26.
Ps. 102. 5.
1. Io. 5. 20.
S. Iren. l. 3. aduers. hæreses. cap. 22.
S. August. lib. 19. de ciuit. c. 25. & 26.
Ps. 143. 15.
S. Gregor. Nazian.

gibilium omnium summus est vertex, in quo desiderium omne consistit ac defigitur, nec supra eum vsquam fertur. Nec enim quidquam sublimius habet, aut omnino habebit mens vlla quantumuis philosophica & altissimè tendens, ac summè curiosa. Hoc etenim rerum omnium expetendarum extremum est, quo cum peruenerimus, conquiescit omnis speculatio. Cuicunque igitur corporis crassitie perrupta cum Deo commercium habere, ac purissimæ luci, quantum humanæ naturæ datum est, commisceri licuerit, is duplici nomine beatus est censendus: tum quod hinc seipsum extulerit, tum quod illius vitæ diuinitatem sit consecutus. *in orat. de laudib. S. Athanasij.*

Summum igitur hominis bonum est, tam in hac, quàm in altera vita, vt Deo inhæreat, & Deus ipsi. Vnde absolutè Propheta dixit: *Mihi adhærere Deo bonum est.* *Ps. 72. 28.* *Adhærere* dixit: quia nulla res, licet summè bona, si sit à nobis diuulsa, potest esse summum nostrum bonum, aut nos facere beatos, nisi nos afficiat & nobiscum coniungatur, nobis applicata. *Adhæsio* igitur summa, *vnioque* cum Deo summo bono, *beatitudine* nostra *obiectiua*, est quæ nos reddit proximè perfecteque beatos. Quãobrem & *beatitudo formalis* solet appellari; IV.

 est-

estque ipsa *Dei visio* in intellectu beatorum existens, eumque ita, vti dixi, mirificè supra omnem crystallum, supra omnia aulæa & aulas incomparabiliter altissimo mentis verbo, specieque, vt vocant, expressa adornans: Atque vt hoc ornamentum fiat maius, essentia ipsa diuina intellectui beato in vicem & modum speciei intelligibilis ac impressæ intima præsentia vnitur, ad quam tanquam ad actum primum, species expressa, seu operatio, vt actus secundus, cum accedit, ita intellectus perficitur & decoratur, vt nihil possit pulchrius à quoquam cogitari.

§. II. *Quanam mentis cum Deo vnione reddamur beati?*

V. Quanquam enim variè Deus intellectui nostro vniatur, hæc tamen vnica *vnio est*, quæ nos efficere possit beatos. Vnitur sanè mens nostra suo Conseruatori arctissimè ipsa *conseruatione* & *dependentia*, sine qua non posset existere, cum ille *portet omnia verbo virtutis suæ.* Verùm hæc conseruationis ac dependentiæ vnio omnibus est creaturis communis, & adeò etiam in ipsis damnatis, ac dæmonibus locum habet. Quid

Less. de summo bono lib. 2. c. 1.

Hebr. 1. 3.

Quidquid enim eſt, mox in ventos ſolueretur, immo in momento nihil eſſet, niſi diuina manu ſuſtineretur, vt ſit aliquid. Quare in hac cum Deo vnione, quæ etiã lapidibus, quin & damnatiſſimis quibuſq; competit, non poteſt conſiſtere beatitudo. S. Aug. in Enchir. cap. 27.

VI. Sed neq; in illa, qua Deus *virtute ſuæ immẽſitatis ac ſubtilitatis* omnibus rebus infunditur atque intimè præſens eſt. Eſt enim illa non tam vnio, quàm quædam præſentia duntaxat, ratione eiuſdem loci. Vbicunque enim quidquam exiſtit, Deus exiſtit. Hæc præſentia ſi beatos faceret, profectò etiam nunc omnes eſſemus beati: *In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus: nec longè eſt ab vnoquoque noſtrum.* At quàm procul à beato illo ſtatu abſimus, lachrymæ, & gemitus, & lamenta quotidiana nimis teſtantur. Act. 17. 28.

VII. Propiùs accedit tertium illud genus *vnionis per gratiam iuſtificantem*, quæ nobis Spiritum ſanctum, ſeu diuinam naturam, veluti accidentale vinculum, ita coniungit, vt, tanquam diuinæ naturæ participes effecti, *filij Dei nominemur & ſimus*; à gratia quidem, vt à vinculo vniente, à diuinitate autem communicata, vt à forma principali & inhabi-

tante vitamque spiritualem largiente. Magna hæc est vnio, ingens dignitas, & ferè summa, quæ potest in hac vita obtineri. Quare diuini voluminis oracula beatos pronunciant eos, qui sic Deo vniuntur. Nequaquam tamen completa perfectaq; beatitudo etiam in hac vnione consistit, cum in multis quoque miserijs versanti, & omni homini iusto, quantumuis carceri, vinculis, vncis, & mille incommodis vitæ, mille periculis animæ obnoxio conueniat, atque ad longè excellentiorem vnionem, cuius illa obtinendæ ius secum fert, ordinetur.

VIII. Adhuc ergo nobilior *vnio* est, *qua Deus & homo in vna hypostasi subsistunt:* quæ, quanquam in suo genere sit *vnionum maxima*, haudquaquam tamen exigitur ad beatitatem. Alioqui solus Christus foret beatus, & lapis quoque aut lignum, si cum diuina natura *hypostaticè* vniretur, beatitudinis particeps esset. Quin neque Christus ipse, cui ob hanc vnionem beatitudo iure debebatur, hac, sed alia quadam vnione *formaliter* est beatus. Siquidem beatitudo aliquid vitale est, cum suauissimo quodam sensu, & gaudio de summo bono coniunctum. Cum ergo *hypostatica vnio* neque

neque ſit aliquid vitale, neque eius ſit naturæ, vt per illam ſummi boni ſuauitas poſſit ſentiri; nequaquam etiam illa, ſed alia quædam vnio mentis cum Deo eſt id, in quo ſita eſt beatitudo. Supereſt igitur IX.
vltima illa vnio, *qua intellectus per viſionem, & hinc deinde conſequenter voluntas per amorem Deo coniungitur*: & quidem per *viſionem*, atque *amorem* creatum; cum *videre*, & *amare*, ſit quoddam viuere motioque vitalis, & operatio ipſius videntis, ſi rectè ratiocinemur. Atque per hanc ſolam operationem ſummum bonum percipitur, ſentitur, & guſtatur. Eſt enim, vel Ariſtotele teſte, beatitudo non in habituali aliqua diſpoſitione, ſed in actuali, & vitali operatione poſita. Neceſſe eſt autem vt illa operatio ſit perfectiſſimæ facultatis, itemque vt perfectiſſimo modo, circa perfectiſſimum obiectum, verſetur. Perfectius obiectum Deo non eſt. Perfectior quoque nulla eſt facultas, quàm intellectus & voluntas, inter quas ipſas duas facultates, præferunt iure intellectum Doctores. Intellectus igitur perfectiſſimo modo, hoc eſt, clariſſimè circa Deum verſans, eidemque cognitione excellentiſſi-

Ariſtot. 10. Ethic. cap. 7.

ma vnitus, voluntatem quoque trahens & eidem vnicè vniens efficit veram summam completamque beatitatem. Nihil enim aliud est beatitudo, quàm summi boni per *Visionem* apprehensio, & possessio. Itaque in hac apprehensione, possessione, visione vnioneque consistit *formalis nostra beatitudo* : quæ, vt tanto sit perfectior, amore quoque voluntatem Deo connectit: non quod beatitudinis essentia, sed
X. complementum in eo consistat. Id scripturæ & Patres egregiè confirmant. Pau-
Ps. 29. 20. cissima attingam. Dauid, *Ostende*, inquit, *faciem tuam, & salui erimus.* Salus ergo & beatitudo nostra in diuinæ faciei ostensione consistit. Quod & Philippus Aposto-
Io. 14. 8. lus agnouit, cum diceret: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Sufficit*, inquit, cum aliud nihil sufficiat, neque satiet. Qua de caussa ille alter, sicut æstuans *ceruus fon-*
Ps. 16. 17. *tes aquarum* sitiens dixit : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*; putauit nimirum claram diuinæ gloriæ apparitionem solam esse, quæ posset tam ardens desiderium satiare. Et planè sola est, quia sola facit beatos.
Math. 5. 8. Hinc quando dicuntur *beati mundo corde*, caussa non alia adijcitur, quàm *quia Deum vide-*

videbunt. Et alio loco: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum,* hîc per fidem, ibi per claram manifestamque visionem. Nam fidei *visio*, tanquam imperfectæ cognitioni perfecta, ac veluti auroræ dies succedet. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Nunc *nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus*: cur similes? quia beati: cur beati? *quoniam videbimus eum, sicuti est. Hæc est vita æterna,* hæc beatitudo. Siquidem nomine *vitæ æternæ*, teste D. Augustino, semper solet vel inchoata, vel completa beatitudo significari.

Io.17.2. *1.Cor.13.12.* *1.Io.3.3.* *Io.17.2.* *S. Augustin. lib.9. de Ciuit. cap.11.*

§. III. *Sanctorum Patrum de Visione Dei pronunciata.*

XI. Vis igitur palmaria & præcipua, qua Deo ita coniungimur, vt beati efficiamur, consistit in *visione Dei*; & Deum clarè videre, est beatum esse. Atque hæc, vt dixi, vel sola *visio* facit *essentialiter* beatum. Quod SS. Patres perspicuè docuerunt. S. Gregorius Nazianzenus loquitur in hunc modum, *Illos lux omni oratione maior exceptura est, & sanctæ regiæq; Trinitatis puriùs iam clariusq;*

S. Gregor. Nazian. in orat. de plaga grādinis.

collustrantis, totamq́; se cum tota mente miscentis contemplatio; quam quidem ego vel SOLAM *regnum cælorum potissimùm esse arbitror.* Subscribit eidem sententiæ S. Augustinus dum ait: *In visione merces tota promittitur delectationis & desiderij nostri.* Quamuis enim beatitudo, tanquã aliquid necessariò cõsequens & coniunctum, ceu complementum aliquod, postulet & secum trahat amorem ac delectationem, præcipuè tamẽ, ac *essentialiter* in solo actu intellectus, tanquam in nobilissima operatione perfectissimæ potentiæ, consistit. Hac operatione bonum summum possidetur, ex qua deinde possessione in voluntate amor gaudiumq́ue existit. Videre enim est possidere.

S. Augustin. lib. 1. de Trinit. cap. 9. S. Th. 1. 2. q. 2. a. 4. & omnes Thomistæ ibid. Vts & Vasq. d. 11. c. 3. & 4.

XII. Quod pulchrè docet alter ille Gregorius Nyssenus his verbis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Promissio certè tanta est, vt superet extremum beatitudinis terminum. Quid enim aliud post huiusmodi bonum quispiam desiderauerit? cum habeat omnia in eo quem videt. Nam videre, vsu scripturæ idem significat, quod habere; sicut illud, Videas bona Ierusalem, idem est, quod, inuenias: &, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei; per non videre, non participem esse*

S. Gregor. Nyss. lib. de beatitudinib. in beatitud. 6.

Psal. 127. Isa. 26.

esse Propheta significat. Ergo qui Deum videt, omne bonum, per hoc quod videt, adeptus est: vitam interminabilem, incorruptibilem, æternam, beatitudinem immortalem, regnum sine fine, lætitiam continuam, verum lumen, gloriam inaccessam, perpetuam exultationem, omne denique bonum. Si igitur beatitudo nihil est aliud, quàm summi boni consecutio possessioque Dei desiderati, (sicut & in alijs rebus tum demum nos felices ac Beatos formaliter arbitramur, si id quod diligimus, aut desideramus, consecuti sumus) profectò beatitudo nostra in eo consistet, vt Deum videamus, quem aliter neque comprehendimus, neque possidemus. Neque aliter illum præsentem facimus, nisi per visionem; sicut & lumen per visum, odorem per olfactum, sonum per auditum nobis coniungimus, & possidemus. Hinc & Irenæus scripsit, *æternam vitam vnicuique euenire ex eo, quòd videat Deum. Quemadmodum enim videntes lumen, intra lumen sunt, & claritatem eius recipiunt: sic & qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes eius claritatem; viuificat autem eos claritas. Percipiunt ergo vitam, qui vident Deum.* I- XIII. taque animæ beatæ egregia imago fuit Re-

Iren. l. 4. contra hæres. cap. 37.

gina

gina Saba è longinquo profecta, & Ierusa-
3. Reg. 10. 4. lem ingressa. Ibi enim *videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesq́; eorum, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in domo domini: non habebat vltra spiritum.* Atque ob hæc talia & se beatam aspectu censuit, & alios. Quapropter exclamauit: *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper,* talia scilicet intuentes, & sapientiam eiuscemodi cum admiratione audientes. Sic anima è longinquo terræ istius in cælestem *Hierusalem ingressa, videns* Dei *sapientiam*, & *domum quam ædi-*
Luc. 12. 37. *ficauit* diligentibus se; *& cibos*, quos ipse *transiens* conuiuis suis *ministrabit*; & *man-*
Io. 14. 2. *siones seruorum* Dei, & *ordines ministrantium* Angelorum, sed præcipuè ipsum illum sapientiæ & infinitæ bonitatis fontem, tota in amorem rapietur, tota gaudijs & voluptatibus colliquescet. Scilicet *Mens illa*
S. Augustin. lib. Medit. cap. 26. *beata*, ait S. Augustinus, *quæ ima deserit, summa petit, quæ ponit in arduis sedem habitationis suæ, & de summis rupibus contemplatur*
XIV. *solem iustitiæ aquilinis obtutibus.* Atque ne *visio* hæc vilis videatur, luxque illa in men-

mentibus ſanctorum oritura minùs afficiat deſiderium noſtrum, ait idem ſanctus alio loco: *Ibi videbimus, in lumine tuo lumen tuum, quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, quale autem lumen? lumen immenſum, lumen incorporeum, incorruptibile, incomprehenſibile, lumen indeficiens, lumen inextinguibile, lumen inacceſſibile, lumen increatum, lumen veridicum, lumen diuinum, quod illuminat oculos Angelorum, quod lætificat iuuentutem ſanctorũ, quod eſt lumen luminum & fons vitæ, quod es tu Domine Deus meus, tu es quippe lumen, in cuius lumine videbimus lumen, te ſcilicet in te, in ſplendore vultus tui, quando te videbimus facie ad faciem. Quid eſt videre facie ad faciem? niſi quod ait Apoſtolus, cognoſcere ſicut & cognitus ſum, cognoſcere veritatem tuam & gloriam tuam? hoc eſt, cognoſcere faciem tuam, cognoſcere Patris potentiam, Filij ſapientiam, Spiritus Sancti clementiam, ipſius ſummæ Trinitatis vnam & indiuiduam eſſentiam, videre enim faciem Dei viui, hoc eſt ſummum bonum, gaudium Angelorum, atque omnium ſanctorum, præmium vitæ æternæ, gloria ſpirituum, lætitia ſempiterna, corona decoris, brauium felicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum*

Idem lib. ſoliloq. cap. 36.

timum & externum gaudium; Paradisus Dei, Hierusalem cœlestis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium æternitatis, pax Dei quæ exuperat omnem sensum. Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, videre eum, qui fecit cœlum & terram, videre eum, qui fecit eum, qui saluauit eum, & qui glorificauit eum; Videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. Cur non amaret? cur non diligeret? cur non laudaret? Tametsi enim visio beata finitæ est perfectionis, sicut omnis creatura; infinita tamen pene est, si cum alijs visionibus cognitionibusque naturalibus vel hominum, vel Angelorum comparetur. Pone quidquid scientiæ omni æuo, omni ætate, omni labore, homines ingeniosissimi acquisiuerunt, nondum habebis nisi vmbram scientiæ illius atque visionis. Quæ cum supremi, hoc est, diuini sit ordinis, neque vlla etiam naturali intelligentia Angelorum, quantumuis sublimissimorum, quantumuis visionem in plures & plures gradus sine termino extendentiū, potest adæquari. Atque hac visione etiam minimus in cœlo rusticus clarebit, infinities proinde doctior, quouis huius mundi sapi-

ſapiente. Qua viſione tanta pulchritudo cernetur, vt quemadmodum in nonnullis hiſtorijs legimus, ſi omnes auri, argenti, florum, metallorum, gemmarum, terrarum, & cœlorum pulchritudines, & quidquid eſt, fuitque, aut erit vſpiam venuſtum, in vnum confluerent: ſi omnes ſtellæ inſtar ſolis effulgerent, illaque omnium ſtellarum lux lucem vnicam ardentiſſimam efficeret: ſolq; tunc ipſe in tantùm adhuc ſplendore illas excelleret, in quantum nunc excellit, totuſque ille lucis theſaurus in vnam pulchritudinē iungeretur; tamen etiam tum adhuc omnis illa pulchritudo non comparabilis eſſet, collata cum pulchritudine Creatoris. *Io. Herold in ſuo Prōptuario Exemplor. lit. C Et in l. 2. Apum c. 17. n. 67. Et apud Cæſariū l. 5. c. 10.*

§. IV. *Quænam in mente illa, quæ Deum videbit, cogitationes præcedere, vel non præcedere debeant?*

XV. Quis igitur ad illam lucem non aſpiret? quis intellectum ſuum hoc immenſo theſauro nolit ornari & locupletari? Cuius cor non dicat ſemper: *Exquiſiuit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram, faciem Domini virtutum, in qua ſola conſiſtit tota gloria ſempiterna beatorum. Quam quidem videre, vi-* *S. Auguſtin. loc. cit.*

re, vita æterna est, & gloria sempiterna sanctorum. Lætetur ergo cor meum, vt timeat nomen tuum, lætetur cor quærentium Dominum, sed multò magis cor inuenientium. Si enim lætitia est in quærendo, qualis lætitia erit in inueniendo? Quæram ergo semper, ardenter, & indesinenter faciem tuam; si quando aperiatur mihi ostium & porta iustitiæ, vt intrem in gaudium Domini mei. Hæc porta Domini, iusti ingredientur per eam. Ingredientur autem tum per alia opera, tum etiam maximè per fidem, per spem, per ardentia desideria. His rebus si mens nostra præparetur, *visio clara* succedet. Nunc quasi nictando videre incipimus, tunc, visu ad perfectum adducto, plenè cernemus. *Quanquam* enim, ait ardentissimus Augustinus, *illa summa & incommutabilis essentia, lux vera indeficiens, lux Angelorum, à nemine conspici valeat in hâc vita (quod præmium solis sanctis reseruatur in gloria cælesti) illud tamen credere & intelligere, & sentire, & illi ardenter inhiare, quodammodo illum cernere est, atque tenere. Sonet itaque vox super Angelos, & homo intenta mente contempletur Deum; verbis quibus potest, suas illi dicat laudes, iustum namque est, vt creatura suum laudet creatorem, ipse enim, ad laudandum*

S. Augustin. lib. Medit. cap 27.

dum se, nos creauit, qui nostris non indiget laudibus, est autem virtus incomprehensibilis, nullius indigens, ipse sibi sufficiens. Magnus Dominus Deus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus, magnus Dominus Deus noster, & laudabilis valde. Hunc itaque mens diligat, lingua canat, manus scribat, atque in his sanctis studijs fidelis animus se totum exerceat. Huius videlicet cælestis Theoriæ suauissimis dapibus, vir desideriorum & cælestium contemplator assiduè reficiatur, vt hoc cælesti pabulo saginatus, clamet clamore magno, clamet totis medullis cordis, clamet in iubilo, & ardentissimo mentis desiderio dicat: O summe, optime, omnipotentissime, misericordissime, iustissime, præsentissime, pulcherrime &c. His cogitationibus, his ignibus, his incendijs implendus est animus. Fide adornetur, vt *visione* felicitetur. Dei siquidem laudibus, ad Dei laudes est ascendendum. Quemadmodum etiam pictores, qualem penicillo ac colore in tabula posituri sunt imaginem, talem creta, vel carbone antè designant. Stultissimi autem & imperitissimi essent, qui Angelum picturi, diabolum priùs delinearent; aut qui tabulam destruerent ac defædarent, quam po-

Ibid. c. 28.

XVI.

stea vellent precioso artificio perficere. Quis rex libenter illam manum, vel arcam serui, auro impleret, quam seruus ipse sordibus fœdissimis impleuisset? Aut quàm impudens esset seruus, qui vas balsamo & fragrantibus vnguentis imbuendum, fimo atque stercoribus, quasi de industria, contaminaret? Denique quis Cæsarem in domum suam & thalamum introducturus, boues priùs & asinos, immo & porcos & vilissimas abiectissimasque bestias quasque intromitteret, vt non tam in aulam, quàm in haram eum admissurus videretur? Sic ad Ezechielem Deus, cum ad templum Hierosolymitanum eum adduxisset, in quo ipse solus erat colendus, iustissimæ querelæ zelo dixit: *Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hîc. Et ingressus, vidi,* ait Propheta, *& ecce omnis similitudo reptilium & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete, in circuitu per totum. Et septuaginta viri de senioribus domus Israël, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum, stantium ante picturas: & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua, & vapor nebulæ de thure consurgebat.* Post quæ Propheta vidit etiam mulieres

Ezechiel. 8. 9.

lieres ſedentes & impuriſſimum Adonidem in illo loco ſacrilegè plangentes, quem Salomon diuinis honoribus vnicè conſecrauit. Quin vidit & viginti quinque viros *dorſa habentes contra templum Domini*, ſeque penitus à Deo auertentes. Ob quam abominationem dixit Dominus: *Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miſerebor: & cum clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* Pari prorſus pacto etiam magnis vocibus clamabunt fruſtra ad Dominum; *Oſtende faciem tuam*, qui ea mente Deum videre volunt, in qua nunc idola ponunt extremæ impietatis; quique expreſſam ſpeciem ſummæ maieſtatis ibi, tanquam in templo quodam, collocare cupiunt, vbi iam, ô ſuperi, quid non delineant; quàm atro carbone omnia alia ſcribunt? Ipſum diabolum, ipſas Furias, ipſas laruas Auernales, ipſam Stygem, ipſas ſordes, ipſas impuritates, cloacas, viperas, hydras, Chimæras abominationum mente illa effingunt, verſant, noctes dieſque volutant, in qua ſperant ſe ſe Deum omni poſthac æternitate habituros? Atque, vt nihil dicam, de tot ſuſpicionum teterrimarum monſtris,

Pſ. 79. 20.

XVII.

de temerariorum iudiciorum inauditis prodigijs, de acerbissima meditatione vindictæ, de consilijs contra Ecclesiam, contra æquitatem, contra ipsam naturam illa mente identidem agitatis, qua diuinitas ipsa inexhausta æternùm cogitanda & penetranda, speratur beatitudinē & summā felicitatem allatura: illud non possum vlla ratione dissimulare, esse quàmplurimos mortales, qui illum cœlestem thesaurum confidant in istum intellectum infundendum; illamque ambrosiam visionis beatificæ, & Elysij amoris fragrantiam non dubitent in animum istum eundem immittendam, in quem ipsi tot indignitates infundunt, & tam detestanda venena immittunt Venerearum cogitationum. Estné hoc regi cœlesti domum, estné hoc thalamum parare? Ne poculum quidem regi terreno porrigere auderes, quod, eo vidente & præsente, viliori priùs libandum præbuisses: & cœlesti regi non erubescis mentem tuam offerre æternùm possidendam, atque summa felicitate, immo diuinitate ipsa implendam, quam priùs nunc toties rebus vilissimis, turpissimis, execrandissimis offers, imples, &, quasi templum

plum Numini dicatum, antè conuertis in domum & ſpeluncam latronum, ac idolorum, vbi *in pariete, in circuitu per totum,* tam deteſtabiles abominationes depinguntur? Nec enim iam tantùm ibi, vbi Deus pingendus & exprimendus eſt, diabolum obiter delineas, ſed prorſus etiam viuis eum coloribus expingis. Immo ipſi diabolo poteſtatem facis pingendi, quidquid Acherontici ingenij ſceleriſque extrema illi ſuggerit libido. Dicámne, an XVIII.
tacebo, hoc ſeculi noſtri nouum & planè ſummè erubeſcendum dedecus? Certat animus, & in animo indignatio cum pudore pugnat. Pudet enim fari, quod quoſdam non pudet proteſtari. Et tamen hæc ipſa eorum tam inuerecunda proteſtatio meretur non parcentem indignationem. Si enim Deo non parcunt illi, cur parcam ego illis? Illi opere, quantum in ſe eſt, Conditorem meum occidant, ego verbo non dehorter occidere molientes? illi intellectum à Creatore datum ad optima & ſaluberrima quæque cogitanda, tantis fæditatibus obſtruant, & ego tam impias obſtructiones non deſtruam? Dicam profectò, & quamuis non ſine proprio rubore,
 tamen

tamen etiam ad istorum ruborem dicam, si tamen tam ferreæ frontes erubescere didicerunt. Sunt enim homines, sunt Christiani, sunt qui volunt inter ipsos Christianos & Catholicos esse non postremi, (non dico Sodales, sicut enim talem pro Sodali non haberem; ita nec quenquam Sodalem habeo pro tali; sed apud Sodales tamen talia dico, vt eos incendam ad tam nefanda scelera in alijs exscindenda) sunt igitur, inquam, qui stant ante abominandas mentis suæ *picturas, & vnusquisque habet thuribulum in manu sua*, & Deus bone, *qualis vapor nebulæ de thure consurgit!* Nempe Adonidem, Venerem, Numen Hellespõtiacum adorant, dum rebus spurcissimis & obscænissimis identidem cogitandis inhonestissimè immorantur. Quarum rerum ne fortè obliuiscantur, sed vt memoriam habeant perennem, inaudito sacrilegij genere, nouam linguam plus quàm nefariè excogitauerunt. Quam autē illam? non iam clauo, non vnco, sed æterna epulonis siti, æternoque incendio dignam: nempe vt quidquid dicant, quidquid loquantur, quæcunque denique verba proferant, ea omnia sint libidinis atque ob-

Ezech. 8. loc. cit.

scæni-

ſcænitatis incentiua & monimenta. Cogor apertiùs loqui, non enim metuendum eſt ne doceam, quod iam antè tam eſt manifeſtum. Inueniuntur tam protriti pudoris homines, tam proiecti Veneris nepotes, qui cum dicere volunt, *Sumpſi prandium, exhauſi poculum, frequentaui hoſpitium,* peruerſiſſimo dicendi genere dicant: *Stupraui prandium, ſtupraui poculum, ſtupraui hoſpitium:* ita illis ſtuprum vbique cordi eſt, vt etiam in ore verſetur, vtq; nihil velint, aut poſſint ſine ſtupro aut agere, aut loqui. Et, quemadmodum plerique ſolent cibos nonnullos nunquam ſine ſale ſumere, ita iſtæ plus quàm Epicureæ pecudes nihil dicunt, quod non ſalaci verbo flagitiosè condiant. Quin eo vſque impietatis progrediuntur, vt ipſas quoque res ſacras impuriſſima lingua ſua profanare, & velut nouæ Harpyiæ, per ſacrilegum ſcelus contaminare non erubeſcant. Itaque cum dicere volunt, *Adiui templum*, (non audeo cetera eloqui) aiunt, *Stupraui templum.* Sic iſtæ proiectiſſimæ animæ per nouum & inauditum ſcelus, omnia profana & ſacra ſtupris ſuis vndique implent; vt æuo noſtro planè dici poſſit illud Ieremiæ: *Ierem. 2. 16.*

XIX.

Filÿ quoque Mempheos, & Taphnes constuprauerunt te vsque ad verticem, hoc est, spurcitijs suis ac stupris, non tantùm mensas, & conuiuia, aut angulos profanos, sed etiam, quod caput & vertex est, res ipsas sacras incestauerunt. Sic, quod ne de hæretico quidem vllo audiuimus, aut legimus, propemodum coram videmus audimusq́; fieri à Catholicis. Videmus, & patimur? audimus, & non punimus? ob hoc ipsum meritissimò puniendi. Nam etiam Deus audit. Sed illi contemnunt audientem, rident minantem, suoque risu & sibi, & nobis pariter Deum irritant. Irritant, & adhuc nos non irritant? Adhuc immanissimis istis stupratoribus non irascimur? Adhuc siluas omnes non comportamus, vt tam Tartareas & à magis ortas blasphemias communi rogo concrememus? Nam prorsus sunt Tartareæ istæ, & vix aliæ, nisi magorum ac veneficorum linguæ. Si enim laudes Dei summas Apostolus
1. Cor. 13. 1. linguas vocat Angelorum, cum ait. *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, cur non dirissimas has blasphemias *linguas* vocemus *Diabolorum?* præsertim, cum nefandæ hæ loquendi formulæ, ex fædere, & pacto, & so-

& ſocietate quadam, velut in ſtygia aliqua ſchola, diſcantur & exerceantur, & inter iſtos pudendos Chriſtianos, illorum quidem inſtitutione *Flores*, ac *Phraſes* appellentur? O Deus, quales *phraſes!* ô quàm tetri *flores*, Floralia illa ab omnibus SS. Patrum libris, immo ab ipſis etiam Ethnicis Catonibus extremè exagitata, multis modis, ſuperantes! Quid aliud ſupereſt, niſi vt dum nos ſilentio noſtro hæc quaſi approbamus, dum ignibus parcimus, dum rogos non extruimus, quibus purpureos & criſtatos Phœnices iſtos imponamus, Deus de cœlo picem & ſulphur, & mille fulmina, & totos flammarum nimbos, & in iſtos ita peccantes, & in nos ita tolerantes immittat? Locrenſium rex Aiax, quòd, tanquam miles, capta Troia, per licentiam militarem, Caſſandram in templo Mineruæ violaſſet, id promeruiſſe dicitur, vt Græcis redeuntibus circa Caphareũ promontorium adeò terrifica tempeſtas immitteretur, vt non ſolùm ipſe, verùm etiam alij plerique vnà nauem frangerent, & in acutos ſcopulos affigerentur. Atque alij multi etiam hodie, qui non ipſa templa, aut ſacra directè, ſed idcirco tantùm

XX.

Virgil. 1. Æneid.

violant, quia alios in illis violant, quàm grauiter solent plecti? Isti autem ipsorum templorum sacrorumque Acherontici stupratores id impunè ferunt? An non ob istos meritò nobis famis, pestis, bellorumque, & omnium miseriarum tempestas immitteretur? Itáne optimum, quod à natura habent, hoc est, rationem & intellectum, assidua rerum turpium mentione ac recordatione ignominiosissimè defædant; & nemo est, qui vindicet? Erit,

XXI. erit profectò, qui vindicet, Deus; quem sicut iam, hæc talia cogitando dicendoque, à mente sua proteruissimè excludũt, ita in æternum suo maximo malo exclusum persentiscent. Merito enim suo fenum esse iubentur, qui cum possent ambrosia vesci, contempserunt. Ob hoc ipsum miseri & miserandi, quia miserijs delectantur. At *mens illa beata, quæ ima deserit, summa petit, quæ ponit in arduis sedem habitationis suæ, & de summis rupibus contemplatur solem iustitiæ aquilinis obtutibus. Nihil enim tam pulchrum atque iucundum, quàm ipsum solum mentis intuitu, & cordis auiditate contemplari Deum, & miro modo inuisibiliter cernere inuisibilem: sicq; aliam, non istam gustare*

S. Augustin. lib. Medit. cap. 27.

ſtare dulcedinem, & inſpicere aliam, non iſtam lucem. Lux enim iſta, quæ loco clauditur, tempore finitur, noctium interruptione variatur, & quam communem cum vermibus & pecoribus habemus, in comparatione illius ſummæ lucis, non eſt lux dicenda, ſed nox, ait illuminatiſſimus ſanctus. Quare alius quoque precatur: *Emitte lucem tuam & veritatem, vt luceant ſuper terram: quia terra ſum inanis & vacua, donec illumines me. Effunde gratiam deſuper: perfunde cor meum rore cæleſti: miniſtra deuotionis aquas ad irrigandam faciem terræ, ad producendum fructum bonum & optimum. Eleua mentem preſſam mole peccatorum, & ad cæleſtia totum deſiderium meum ſuſpende: vt guſtata ſuauitate ſupernæ felicitatis pigeat de terrenis cogitare.* Quare nos præcipuè, qui ſingularem Mariæ Virginis cultum profitemur, *Noſtram*, vt S. Ioannes Damaſcenus loquitur, *memoriam repoſitorium Deiparæ faciamus. Hoc verò quomodo erit? Ea fuit Virgo, & amatrix Virginum. Si ergo cum corpore mentem quoque caſtam habuerimus, inhabitantem eius gratiam poſſidebimus.* Vti & filij eius: qui ipſe dixit: *Beati mundo corde; quoniam Deum videbunt.* Sicut ergo immundum cor, immundus inſidet

Thom. de Kemp. l. 3. de Imit. cap. 23.

S. Io. Damaſcen. Serm. de Aſſumt. B. Mariæ Virg.

Matt. 5. 8.

ſpiri-

ſpiritus;ita cor mundum mundus poſſidebit Deus. Quid autem ſit cor mundum, capite ſequenti fuſiùs explicabo.

Caput XIII.

QVALIS SIT IN VOLVNTATE FVTVRA BEATORVM, SVPRA LABYRINTHI HABITATORES, felicitas, ratione amoris & gaudij?

§. I. *Quid, & quale ſit cor Beatorum?*

I. OR mundum eſt intellectus mundus, & voluntas munda. Priſci enim exiſtimarunt, mentis ſapientiæque *ſedem*, aut certè *fontem* in *corde* eſſe; ſicut eſt iræ fons, in *felle*; petulantiæ, in *ſplene*; amoris, in *iecore*. Quod vulgari illo verſiculo eſt comprehenſum:

Cor ſapit, & pulmo loquitur, fel commouet iram,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Quin & in diuinis litteris *cor*, pro intelle-
Oſea.7.11. ctu, poſitum habemus. *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor*, ait O-
Rom.10.10. ſeas: & Apoſtolus; *corde* inquit, *creditur ad iuſtitiam.* Quonam *corde*? corporeo illo, quale etiam bubalus habet? nequaquam. Sed *Intellectu*, cuius fides actus eſt, & *Voluntate*,

tate, cuius pio imperio *Intellectus* res incuidentes, obſcuras, difficileſque credit.

Quanquam autem vtraque potentia *cordis* nomine intelligatur, præcipuè tamen intelligitur voluntas, quæ & ipſa, ſi de moribus agitur, in homine præcipuum habetur. Philoſophi doctrina eſt, *cor eſſe fontem omnium ſenſuum, vitæq; ac ſanguinis.* Ac in prouerbio iactatur, *Cor ne edito*, curiſue macerato: aut, vt eſt in ſanctiore prouerbio, *Omni cuſtodia ſerua cor tuum: quia ex ipſo vita procedit.* Ita & *Voluntas* fons eſt, & morali æſtimatione principium præcipuum actuum *humanorum.* Inde enim etiam *actus humani* à Theologis appellantur, ſuamque hauriunt libertatem. Neq; homini quidquam vel in ſe, vel in altero charius eſt, quàm voluntas. Si eſt quod volumus, bene eſt; & ferè nihil eſt, quod voluntate non ſuperemus. Si voluntatem alterius habemus, ipſum habemus, & quidquid eſt ipſius. Nec tam dolemus, ſi alij malè intelligant, quàm ſi malè velint. Sin quod volumus, volunt, nihil eſt, quod ampliùs velimus. Quare ſummopere gaudemus, ſi & alij volunt nobiſcum. Quod num in *Labyrintho* experti ſint gaudium

II. — *Ariſtot. de partib. animal.* — *Prou. 4. 23.* — III.

reges

reges Ægyptiorum, non est necesse perdiu inquirere: cum palàm sit, multas inibi voluntatum contrariarum pugnas extitisse, odijsque ac tristitijs, quin & insidijs, & perturbationibus sæpe omnia permista fuisse. Quid enim aliud fieret in rebus humanis? in quibus, vt lapis lapidem, ita voluntas frangit teritq; voluntatem.

IV. Non sic in cœlo euenit. Ibi *Cor vnum & anima vna* est. Ibi beata illa societas non tantùm intellectu Deum intra se possidebit, *manè suum* adepta, de quo dicitur; *Manè astabo tibi, & videbo*, sed etiam voluntate tota continebit, quidquid potest ea boni continere: cum, teste Boëtio, beatitudo sit *status bonorum omnium aggregatione perfectus:* aut, vt S. Anselmus definit, *sufficientia omnium commodorum.* Pertinet ergo ad Beatitudinis perfectionem & integritatem, etiam perfectio voluntatis. Neque temerè dixit D. Augustinus, *beatum illum esse, qui habet quidquid vult, & nihil mali vult.* Nihil mali sanctos in cœlo velle, aut velle posse, aut metuere, supra à nobis est demonstratum. Habere autem, quod volunt, inde est clarum, quòd Deum habeant, videndo Deum, extra quem nihil volunt.

Act. 4.32. S. Augustin. 1. de Trinit. c. 8. 9. & seqq. Psal. 5.

Boet. l. 3. de Consol. pros. 2. S. Ansel. lib. de similitud.

S. Augustin. l. 13. de Trinit.

Supra c. 7. & c. 8.

lunt. Quoniam autem beatitudo eſt *ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus*, pertinebit vtique ad ſtatus iſtius integritatem, vt quemadmodum intellectus videndo, cum Deo ſuaque felicitate coniungitur, ita & voluntas ſuis non careat bonis commodiſque, quibus in ſua beatitudine perficiatur. Quamuis enim D. Thomas, & qui illum ſequuntur, totam beatitudinis eſſentiam rectè in ſola viſione Dei conſtituant; tamen, ex eorundem ſententia, ſicut ſubſtantiam ſolis lux & calor, tanquam aliquid neceſſariò conſequens, ſemper comitatur; ita cum beatifica illa claraque viſione amor, tanquam calor, gaudiumque, velut quædam lætiſſima mentis lux, & complementum beatitudinis perpetuò connectetur. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, ait regius vates. Vino ſcilicet diuini amoris incaleſcent, &, velut ebrij, curarum omnium obliti, affectum omnem in Deum pleniſſimè effundent: quem bono quidem affectu omni, magis tamen amore & gaudio amicitiæ, quàm amore gaudioque concupiſcentiæ proſequentur. Itaque hoc amore pleni diuina

S.Thom.1. 2. q.3.a.3.

V.

Pſal. 35.9.

uina quadam voluptate perfundentur: Apoc. 22, 1. Hic *torrens voluptatis* S. Ioanni ostensus esse videtur. Ait enim: *Et ostendit mihi fluuium, aquæ vitæ, splendidum, tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.* Fluuius iste, quia erat ingens, in Arabico textu, *mare* vocatur. Est enim in cœlo quædam immensitas & amoris, & gaudiorum. Gen. 2. Fluuius iste fonte Paradisi, & ligno vitæ significatus, è throno Dei scaturiebat. Inde enim amor oritur, quò reflectitur; & lætitia sanctorum, est quædam participatio diuinorum gaudiorum: quæ quidem eiuscemodi sunt, vt cum *aqua vitæ*, seu cum *aqua viua* meritò possint comparari. Semper enim fluunt, nunquam deficiunt, aut arescunt. Erit igitur res præcipua in Sanctis, hoc est, voluntas, seu *cor* sanctorum, Psal. 26. 3. quod *non timebit*; erit, quod intra Psal. 38. 4. sanctos *concalescet*, amoris flamma: erit, Psal. 44. 2. intellectus, qui *eructabit verbum bonum:* Ps. 72. 26. erit, qui semper dicat, *Deus cordis mei, &* Ps. 96. 11. *pars mea in æternum:* Denique erit *rectis cor-* Ps. 104. 3. *de lætitia:* & non iam *in terris*, sed in cœlis,

pax

pax hominibus bonæ voluntatis; seu ijs, qui Dominum quærunt, Dominoque seruire concupiscunt. Hi namque vulgò *bonæ voluntatis* esse dicuntur; digni proinde, qui pace lætitiaque perfruantur. Dignum est enim, vt *lætetur cor quærentium Dominum.* Ps. 104. 3.
Erit ergo *cor* sanctorum nihil metuens, omnes tribulationes excludens, summi boni amans, summa pace gaudens, & in Deo exultans: quale *cor* in nullo vnquam repertum est *Labyrintho.* Quoniam autem supra iam docui, in voluntate cœlestium nihil aut timoris, aut tristitiæ, aut peccati esse posse, superest nunc solùm, vt de amore, deque gaudio Beatorum nonnihil dicam.

§. II. Ad beatitudinem pertinere amorem & gaudium. Et quomodo? Aut cur?

VI. Inprimis verò statuendum est, licet amor, gaudiumque aliquid essentia beatitudinis sit posterius, tamen ad integritatem illius pertinere; sicut ad integritatem hominis pertinet, vt manibus pedibusque constet, quantumuis essentia hominis, etiam sine his consistat. Qualis enim sit beatus, qui beatitudine sua non fruatur? hoc

est, qui summum bonum videat, & non amet, neque de eo gaudeat? Siquidem *frui, est ex re amata & præsenti capere fructum, seu oblectationem.* Bellè S. Augustinus; *Nemo*, ait (perfectè) *beatus est, qui eo, quod amat, non fruitur: nam & hi, qui res non amandas amant, non se beatos amando putant, sed fruendo.* Igitur necesse est, vt amet, & amando gaudeat, quem volumus appellare beatum: videturque ipsa vis & natura beatitudinis exigere, vt sit bonum habentis summè amabile, atque vt perfectè satiet appetitum. Quippe vt ex luce solis, calor, ita ex illa *clarissima* summi boni *visione* ingens exardescit desiderium illius amandi, gustandique eius suauitatem. Quod tàm ardens desiderium, si non expleatur, profectò animum affliget desiderantem. Cum ergo nihil affligere possit beatos, fit vt ament, quod vident; & fruãtur eo, quod amant. Atque ita demum Deo perfectè similes efficiuntur, eique non intellectu solùm, sed etiam affectu, arctissimè vniuntur.

S. Augustin. 8. de Ciuit. c. 9.

VII. Profectò, quemadmodum maxima pœna est damnatorum, carere beatificà visione, quod *pœnam damni* solemus vocare; ex qua summa quæ-

quædam triſtitia in voluntate eorum naſcitur, quæ damnatos cruciat: ita *viſio beatifica* ipſa, maxima eſt felicitas ſanctorum; ex qua oritur ſumma quædam lætitia, quæ voluntatem eorum oblectat. Ob quam connexionis neceſſitatem, ſæpe gaudium pro ipſa beatitudine; & triſtitia pro ipſa damnatione vſurpatur. *Intra in gaudium Domini tui*, ait Chriſtus. Et S. Auguſtinus: *Omnes ipſum gaudium beatam vitam vocant*; eſt enim ſemper, ac neceſſariò cum vita beata coniunctum, tanquam effectus neceſſarius cum cauſſa. Quamobrem nonnulli rectè dixerunt, viſionem beatam, nõ quidem formaliter, ſed tamen cauſſaliter omne bonum continere. Certè quando beatitudo dicitur *ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus*, vel beatitudo cauſſaliter deſcribitur; vel ſi formaliter definitur, tum ea definitione, non ſola beatitudinis eſſentia, ſed integer atque complectus eius ſtatus explicatur, vt verior ſententia habet. Quanquam vtram quis ſententiam amplectatur, *amorem* atque *gaudium* beatis concedere debebit, ſi quidem beatitudinem illis voluerit concedere. Faciliùs Sol radios ſuos reſorbere, lucemque

Math. 25.
S. Auguſtin. l. 10. Confeſſ. cap. 21.
Boet. l. 3. de Conſol. proſ. 2.
VIII.

nullam ex se diffundere potest, quàm Beatus, illud infinitæ excellentiæ bonum tam clarè intuens, *amorem* cohibere. Trahit alioqui quoduis bonum voluntatem affectumque nostrum; sed summum bonum summè. Vt enim maior magnes ferrum ad se potentiùs rapit; sic maius bonum, quò clariùs cognoscitur, vehementiùs amatur. Summum ergo illud *diuinæ essentiæ* bonum clarissimè visum, eum animo beatorum impetum imprimet, cui nõ poterit reluctari. *Corpus pondere, animus amore fertur, quocũq; fertur.* Corporis pond⁹ potest impediri, si non sit nimis magnum: amor beatus nimis magnus est, impediri nõ potest.

S. Augustin. l. 11. de Ciuit. cap. 28.

IX. Et quis voluntatem impediret, ne vellet amare bonum, quod ei intellectus proponit, vt summum? Quis charitatis tã immensæ incendium frenaret, in materia tam apta ad flammam concipiendam? Hæ enim duæ caussæ ex parte potentiæ concurrunt ad *amorem* producendum, *Voluntas* scilicet, & *Charitas*; quemadmodum *intellectus* & *lumen gloriæ*, ad *visionem*. Vt *amor* sit actus vitalis, & vita animæ, concurrit *Voluntas*: quæ quia ex se ad tam sublimem motum in Deum non est suffi-

ciens,

ciens, diuino dono *Charitatis* eſt perficienda. Quoniam autem amari incognitum non poteſt, præter *voluntatem* & *charitatem* ex parte potentiæ, neceſſaria eſt etiam ex parte obiecti *Viſio*, & *Eſſentia diuina viſione* apprehenſa. *Viſio* enim, per modum conditionis neceſſariæ, concurrit ad *amorem* eliciendum. Et *Eſſentia diuina*, eſſentiam *amori* ſpeciemq́ue, tanquam obiectum actui, tribuit; *amoremq́;* diuinũ, per cognitionem, in anima excitat. Cum ergo ex his quatuor rebus *amor* exiſtat, ſanctiq́ue in cœlo habeant optimam *Voluntatem*, ardentiſſimam *Charitatem*, clariſſimam *Viſionem*, & *Eſſentiam diuinam* ſemper præſentem, quid aliud facere poſſent, quàm vt illa *Voluntate*, iſta *Charitate*, hac *Viſione*, æternos amores in *diuinam Eſſentiam* dulciſſimè perpetuarent? hiſq́ue ipſis amoribus ſine fine delectarentur? Memorat Ariſtoteles, piſcem quempiam, quòd in ſtellæ modum, præclaro ludentis naturæ artificio ſit efformatus, *ſtellam* nominari. *Brachÿs enim, quaſi radÿs quinque diffuſus expanditur: in radiorum medio, os eſt ſine gula: inde alimentum in quinque partes diſtribuitur. Aſpectu pulcherrimus eſt, ob exquiſitam partium*

X. *Ariſtot. lib. 5. de animal.*

compagem. Radiorum particulæ omnes vinculis connexæ sunt. Hic tam mirabilis, rotundus, & venuſtus piſcis in ipſis aquis *habet tam igneum feruorem, vt omnia in mari contacta adurat, omnem cibum ſtatim peragat.* Et Dominus, qui tot beneficiorum radijs diffuſus expanditur, & ſanctos omnes, velut brachijs beneuolentiæ complectitur, ijſque tanquam vinculis *funiculiſq; charitatis* connectitur, ille, inquam, qui Moſi *ap-*
Exod.3.2. *paruit in flamma ignis*; quique in ignis ſpe-
3.Reg.18.38. cie holocauſta conſumſit, ſpiritumque *amoris* ſui in *linguis igneis* miſit; itáque in via
Act.2.3.
diſcipulis ſuis etiam nondum beatis calidè
Luc.24.32. locutus eſt, vt *cor* eorum *ardens* eſſet; de-
Heb.12.29. nique qui, teſte Apoſtolo, *ignis conſumens eſt*; non omnia in cœlo ſanctorum corda *contacta adurat*, atq; in dulciſſimam quandam *amoris* flammam conuertat? hoc eſt, in ſe ipſum? Vt enim *Viſio* ad ſe quodammodo trahit rem viſam, ita *Amor* transfert amantem in rem amatam, affectuque in eam commutat.

§. III. *Qualis ſit amor beatorum?*

XI. Porrò qualis ſit iſte *Amor*, ex *Amore* terreno licebit cognoſcere, quem Poëtæ pue-

puerum, tanquam imprudentem; *nudum*, tanquam impudentem & inhonestum; *tænia oculos velatum*, tanquam cæcum; *sagittis & pharetra instructum*, tanquam vulnera spargentem, denique *alas in humeris gerentem*, tanquam leuem, inconstantem, & in momento auolantem, depinxerunt. Omnia contraria habet diuinus *Amor*. Est ex altissimarum rerum scientia, quippe ex contemplatione certissima & euidentissima ipsius Dei oriundus. Est *pudicus*, *castus*, *honestus*. Est *oculissimus & oculatissimus*, quippe ex ipsa rerum diuinarum euidentia natus. Est *dulcis*, neque quenquam cum dolore vulnerat. Nam illud: *Vulnerasti cor meũ*, non dolentis, sed laudantis & lætantis est sponsi. Est denique *constans & inextinguibilis*, neque à sanctis illis in cœlo potest auolare. Quamobrem rectè cœlestis & terreni *Amoris* pugna ac diuersitas exprimi potest, illis simulachris duobus, quæ, teste Pausania, quondam in Maltho Gymnasio conspecta fuerunt, *Erotis*, & *Anterotis*; quorum ille palmam tenebat in manu, hic infringere, & surripere nitebatur. *Amor* enim terrenus *Amori* cœlesti è diametro oppositus, prorsus contrarijs re-

Cant.4.9.

Pausan. Eliac. lib. posteriore.

bus solet efficere, ne homines pertingant ad illam palmam *Amoremq́;* cœlestem. Qua de caussa pulchrè S. Chrysostomus vtrumque *Amorem* describens ait: *Ille animi morbus est, & opprobrium: Hic animæ lætitia & exultatio. Ille bellum in animantium inuehit cogitationem: hic bello pacem substituit. Ex illo vulgari non modò nihil emolumenti, sed ingens quoque rei familiaris sumtus inanis, vitæ pernicies, ædium denique à fundamentis subuersio. Ex honesto hoc, qui spectat animorum decorum, multæ opes bonorum operum, magna virtutum supellex. Bonam corporis formam adamantes, & ad faciei splendorem inhiantes; si turpes sunt & inelegantis formæ, nihil ad mutandam deformitatem ex concupiscentia lucrantur: in hoc contra fit amore. Quisquis amat animam sanctam, continuò talis erit, qualis est, quam amat, verè scilicet pulcher, ac formosus.* Hæc Chrysostomus de *Amore* puro & impuro; honesto, & inhonesto; spirituali & carnali. Quanto autem perfectior est purus, honestus, & spiritualis *Amor*, tanto maiorem parit *animæ lætitiam & exultationem, & pacem, & opes.* Quid ergo purissimus ille, honestissimus, & spiritualissimus *Amor* non faciet in cœlo? quanta in

S. Chrys. Homil. in illud S. Pauli: Vtinam tolerasseitis.

læti-

lætitia & exultatione, quanta in pace, quãtis in opibus beatos non collocabit? Et vel maximè idcirco, quia non cæcus erit, ſed *viſione Dei* nitetur. Quem qui videt, iam habet magnetem, à quo potentiſſimè trahatur. Refert Pythagoricam fabulam Plinius de herba, quam *centum capita* vocant. *Portentoſum eſt*, inquit, *quod de ea traditur. Radicem eius alterutrius ſexus ſimilitudinem referre, raram inuentu. Sed ſi viris contigerit mas, amabiles fieri. Ob hoc & Phaonem Lesbium dilectum à Sappho.* Maiorem vtique, verioremque, quàm herba iſta *hecatoncephalos*, vim habet immenſa Numinis bonitas, potentia, pulchritudo, quam qui perſpicuè videt, non poteſt non efflictim amare. Ergo etiam quanto quis Deũ magis amat, conſequens eſt, magis Deum vel in via credere, vel in patria videre. XII.

Plin. l. 22. Hiſt. Nat. cap. 8.

At è diuerſo mundi *Amor* cæcus eſt, quæ enim amat, non videt; ſi videret, non amaturus. Ita malæ merces in tenebris venduntur, quæ in luce clara poſitæ emtorem non inuenirent. Bellua igitur *Amor* ille eſt immaniſſima, ac Pantheræ ſimilis, quam Solinus ſcribit praua cupiditate cæcam, rabie furioſiſſima diuinam hominis effi- XIII.

giem deteſtari, ſtercus verò eiuſdem amare: quemadmodum & illi faciunt, qui *amore* hoc capti, in res honeſtas, pulchras, diuinas odia vibrant & deteſtationes; turpia autem, fæda, & ne pecore quidem digna magnis inſanijs concupiſcunt. Nam, teſte S. Baſilio, *Vitæ quidem claritatem & magnitudinem rerum geſtarum nullo modo aſpiciunt* (cæci enim ſunt ad honeſta) *at ſordibus inſiſtunt*; ad quas proinde etiam ipſas ſunt cæci. Non enim diligerent, ſi cognoſcerent: iam non cognoſcentes & cæcos facile eſt capere.

S. Baſil. de Inuid.

XIV. Sic ſimias capi teſtatur Ælianus. Nam *ſpeculo etiam Indus venator in Simiarum conſpectu vtitur: cuius loco diſcedens aliud relinquit; & laqueum ſubtus addit validum. Simia verò accedens fixo obtutu in ſpeculum intenta, imitatione hominis: radijs è ſpeculo reflexis, ita afficitur oculis, vt hebetati illi palpebris, tanquam agglutinatis, conniueant. Itaque cæcutiens facilimè capitur, vt qua fuga ſibi conſulere iam nequeat.* Talis eſt fulgor mundi, qualis ſpeculi: excæcat, dum oblectat: dumque oculos adimit, adimit vnà vitam ac felicitatem. Aliter *Amor* diuinus, qui vnà lumen affert, & calorem; ita enim amat, vt videat nihil magis amandum

Ælian. lib. 17. de animal. cap. 25.

dum quàm Deum, quod *amor sui* non videt. Qua de caussa rectè S. Dionysius Areopagita ait: *Amor diuinus ecstasin facit, non sinens amatores esse sui iuris, sed in ius eorum, quæ amantur, penitus transferens.* Ita enim affectum cogitationemque amantis in rem amatam transfert, vt sui rerumque suarum quasi obliuiscatur, & cogitatione affectuque quodammodo extra se egrediatur, totusque in rebus dilecti versetur: adeò vt iam non in se, sed in dilecto viuere videatur, ac cum Apostolo dicere possit: *Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me Christus:* in quo, & in cuius caussa cogitatione atque affectu ita hæreo, vt eorum, quæ ad propria commoda, honorem, & vitam spectant; meritò oblitus videri possim. Hic amoris effectus in Apostolo *viatore* repertus, longè excellentiore modo erit in quouis *comprehensore*: qui cogitatione & affectu omni ita trahetur in Deum, vt à se ipso exeat, nihil de se suisque rebus aut amicis, aut fratribus, aut filijs, aut parentibus cogitans, vel concupiscens, nisi prout id ipsum ad diuinam gloriam refertur. Igitur omni solicitudine, motuque proprij amoris extincto, soli Deo viuet, vita

XV.

S. Dionys. Areopag. de diuin. nom. c. 4. p. 1.

Gal. 2. 20.

qua-

quadam diuina præditus, quæ est Deum videre, videndo amare, amando gaudere. Videt ergo Beatus *Amor*, quæ sunt videnda, immo tantùm abest, vt à videndo impediat, etiam incitat ad semper magis magisque videndum. Neque enim sine caus-
Psal. 33.9. sa dixit Psalmista: *gustate, & videte quoniam suauis est Dominus. Hæc in amore rota est:* Visus generat gustum, & gustus denuò excitat visum. Non igitur *cæcus* est, sed lim-
XVI. pidissimè *videns Amor beatus.* Quin neque cum dolore vulnerantibus iaculis armatus venit, sicut *Amor terrenus*; qui sagittas felle linit, & ferè aliud nihil habet, quàm querimonias, iurgia, rixas, furores,
Ptolo. Hephas. l.4. bella, cruorem. Quemadmodum herba, quæ è quercu, ad quam se Helena suspendit, enata, & idcirco *Helenium* appellata, rixas dicebatur olim prouocare, ne ab origine sua degeneraret: nam & ipsa Helena
Catull. de Nupt. Peles & Thet. fuit caussa bellorum. Nôrunt ineptè amantes, quàm *indomitos in corde furores*, quàm magnas procellas, & tumultus circumferant; quos gemitus, quæ suspiria, quas lachrymas, ne dicam, cædes & mortes patiantur. Non fert tales sagittas *Amor diuinus*, qui mentem cum Deo, cum vita increa-

increata & æterna, cum pace, cum tranquillitate, cum gaudijs vnit. Summus enim *Amor* ſummam quærit gignitque vnionem: itáque eſt conſtitutus, vt, ſi fieri poſſet, amantem in amatum totum conuerteret. Cupit enim ſe totum impendere amato, atque cum eo perfectiſſimè vnire. Ex qua vnione à Deo trahit, quidquid eſt boni, vt ita dicam, ſucci in Deo: quantoque plus vnitur, plus trahit. Cum ergo nihil ſit amari, nihil acerbi in ſummo bono, non poteſt *Amor* diuinus aliud ſecum afferre, quàm limpidiſſimas voluptates. *Amor* autem terrenus, quia ſe iungit rebus habentibus amarorem & acerbitatē, ſine dolore nequit haberi. Si enim amans cum re amata fit vnum quid, profectò neceſſe eſt, tale fieri, quale eſt id, quod amat. Non poteſt ergo res felle tincta, amari ſine ſenſu fellis; ſicut neque Deus ſumme beatus & gaudijs plenus, ſine beatitudine & ſenſu gaudiorum.

§. IV. *Quis è duobus contrarijs Amoribus ſit præferendus?*

Miriſſima proinde res eſt, homines, hos duos ſibi tam aduerſantes *Amores* non expen- XVII.

pendere; diuinum non ardentiùs sectari, terrenum non constantiùs contemnere. Inchoatur enim *Amor diuinus* in hac vita, in qua etiam *Amor terrenus* inchoat æternum amarorem. Si cui crumena, si arca, si vas esset, quod pro arbitrio, vel stercoribus replere, vel auro posset; quis sibi tam malè vellet, vt stercora præ auro eligeret? Vas nobilissimum est *cor* tuum, & voluntas tua. In hoc vase vel aureum illum Dei *Amorem* collocare potes, vel istum terrenum, nihil secum nisi stercora afferentem: in quibus non nisi scarabæi amant habitare. Certè homines non sunt, qui præ auro *stercora amplexantur*: vnde ab Ioële dicitur: *computruerunt iumenta in stercore suo.* Quænam autem sunt stercora ab istis amata? Nempe corpora formositate fallentia: de quibus Sophonias ait: *effundetur sanguis eorum, sicut humus, & corpora eorum sicut stercora.* De his tamen identidem cogitant, hæc in votis, hæc in desiderijs habent, vt corda sua stercoribus impleant, ne sit auro locus. Sicut alij vanis honoribus, titulis, stemmate, dignitate toti sunt occupati. Quid autem sunt hæc omnia? Scripturam audi. *A verbis viri peccatoris, ne ti-*

Thren. 4. 5. *Ioel.* 1. 17.

Soph. 1. 17.

1. *Macha.* 2. 62.

ne timueritis: gloria eius stercus & vermis est. Et quid multa? Nonne Apostolus clamat? *Arbitror omnia vt stercora?* Cum tamen *Amor diuinus*, sit aurum ignitum, quod nobis suadetur, vt emamus: *Suadeo tibi emere aurum ignitum.* Aurum, quia, vt hoc est inter metalla optimum & excellentissimum, ita Amor charitasque inter virtutes, & opera virtutum. Aurum, quia, vt hoc præ omnibus fulget; ita nihil est tam splendidum, quàm Amor Dei; nihil tam preciosum. Denique si ad fulgorem ignis accedat in auro, bis fit splendidum, nempe fulgore proprio, & fulgore ignis. Est ergo & quidam naturalis *amor* Dei, & quidam supernaturalis à vi superna, & igne S. Spiritus ad vim naturalem accedens. Hoc auro cum *cor* nostrum locupletare, & ornare possimus, atque eo cœlestem illum, dulcissimum *Amorem* emere, cur toties desistimus, cur scorias, immo stercora præoptamus? Nimirum quia precium illius non expendimus. Sicut ergo *inter indoctos etiam Corydus sonat*, ita amore illo contenti sumus cui insueuimus, quantumuis amaro. *Omne primogenitum* Deo offerre iubemur, & *sanctificare.*

Phil. 3. 8.

Ap. 3. 18.

XVIII.

Exod. 13. 2.

re. Cum ergo cor ante alia membra in embryone primò formetur, meritò *primogenitum* vocari potest. Sanctificandum igitur Deo foret, ni Neriti similes essemus, *hominum simul atq; Deorum formosissimo: quocum Venus etiam in mari se oblectauit, magno illum amore prosecuta. Quum verò iam tempus fatale aduenisset, & Venerem dijs cælestibus, iussu patris, inscribi oporteret: audio eam de mari exeuntem*, ait Ælianus, *Neritem quoq; delicias suas secum abducere voluisse: illum verò recusasse, quòd, inter parentes ac sorores viuere, quàm cœlo potiri mallet. Et quum alas etiam quandocunque libuisset, ad volandum, sibi producere posset, hoc quoque munus à Venere (ni fallor) acceptum, aspernatus neglexit. Quamobrem indignata Iouis filia illum in cochleam eiusdem nominis conuertit: comitem verò & ministrum illius loco Cupidinem, ipsum quoque iuuenem & formosum sibi delegit: & alis, quas Nerites habuerat, eundem induit.*

ÆElian. lib. 14. de Animal. cap. 28.

XIX. Quã multi homines à Superis amantur, cum interea ipsi inferos amant, & malunt cum stilla mellis totum fellis Oceanum exorbere; quàm post vitæ istius tã breuis, quasi vnicam guttam fellis, illum in cœlo immensum mellis Oceanum expectare? Offert

fert illis Deus *alas*, quibus è mari hoc emergere poſſent, & euolare; ſed illi *inter parentes ac ſorores viuere, quàm cœlo potiri malunt*; vt inter illos computentur, de quibus Chriſtus ait: *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Igitur in *cochleam* abeunt, quæ tardè nimis incedit, & ad cœlum perueniet, non niſi ianua clauſa. Cum interea Deus alios deliget, quibus coronam iſtorum imponat, poſtquam, alis vſi, diuinæ vocationi celeriùs obediuerint, Deum præ mundo amantes, illique omne bonum internum externumque, hoc eſt, eſſentiam ſuam atque gloriam increatam, creatamque ex animo volentes, atque inter hæc etiam ſeipſos, quos præ omni bono creato Deus habere cupit, & Chriſtus eſt promeritus: cui tanquam pio prædatori (dictum eſt enim illi: *Feſtina prædari*) cor meritiſſimò debetur. Si enim accipitribus ſolet cor auium, quas prædantur, dari, quomodo poteſt id Chriſto negari? Negant autem id Chriſto, quicunque diabolo, mundo, aut concupiſcentijs aperiunt, Amoremque proprium non extirpant. Vt enim *Amor proprius* ex fomite peccati, tanquam ex ſemine; ita *ex*

Matth. 10.37.

Iſa. 8.3.

XX

amore isto naſcuntur propenſiones ad mala, tanquam ex radice; atque hinc rurſus, tanquam rami quidam, perturbationes: vnde, velut folia, protuberant habitus vitioſi: &, fructuum inſtar, cogitationes, ſermones, operationes malæ. In tali corde non poteſt habitare Chriſtus. Non enim poteſt amari Deus ſimul, & hoſtis Dei. Siquidem talis eſt natura hominis, vt ſemper amet bonum aliquod, tanquam ſuum vltimum finem; & quidem ſi perfectus eſt amor, non patitur regni ſocium, ſolus in corde dominatur, omnia excogitat, ſubit, efficit, vt id, quod vult, conſequatur, totumque hominem occupat in re concupita, atque in eandem illum transformat. Sic adeò fit, vt ipſe homo talis fiat, qualis res eſt, quam amat. Si ergo malam rem amat, malus eſt homo. Quid Deo bono cum homine malo? Quin proprium eſt Amoris rem aliquam, vt finem vltimum, amantis, ferri in illud bonum, ſeu finem, non propter aliud quidquam, ſed propter ipſummet; atque etiam in alia omnia ferri propter ipſum, immo eatenus ferri, quatenus ad illud vltimum bonum conducunt: adeò vt illud, quod tanquam finis amatur,

ſit

ſit norma regulaq́;, ſecundùm quã cetera vel deſiderentur, vel vitentur. Si ergo *Amor terrenus* in corde tuo regnat, non poteſt is creaturas ad Dei creatoris gloriam referre, vti planè deberet: ſed vice verſa, eo ipſo quia terras, & ea, quæ in terra ſunt, vt pecunias, honores, epulas, Helenas, tanquam bonum finemq́ue vltimum amat; ad eadem cetera omnia reuocat, & adeò etiam ipſum Deum. Hinc omnes vias eligit, quæ ad finem illum ducunt; quidquid autem obſtat, amouet. Cum ergo Deus obſtet omni amori iniuſto, amouetur è tali corde, quod omnes animi corporiſq́ue vires eò contendit, vt abijciat, quidquid obſtat cupiditati; aut certè vt ad ſuum finem detorqueat. Non vult autem Deus bonum ſummum, ad alia bona infinities minora referri, cum ſit abſurdiſſimum famulis Dominum ſubijci: quare non poteſt in eodem corde inter *Amores* tam prauos habitare. Quid igitur mirum eſt, ſi cum illo pax, ſi gaudium, ſi tranquillitas exulat? Nos ipſi in cauſſa ſumus: amando amorem excludimus: & cum in conuiuijs partes optimas ſummis præbeamus, id, quod optimum in nobis eſt, cor,

XXI. Deo negamus. Nempe nescimus æstimare, quid sit verè bonum. Pueri riuulos æstimant, qui maria nunquam viderunt. Romæ, prope portam Collinam, olim dicitur Erycinæ templum fuisse, vbi Amor facem vndæ immergebat. Si nos animum in illud cœlestium gaudiorum mare immergeremus, profectò illico pax illicita omnis, omnisque intempestiuus Amor extingueretur. Nam in cœlo, *qui hoc bono fruetur* (verba sunt Sancti Anselmi) *quid illi erit? & quid illi non erit? certè quidquid volet, erit: & quod nolet non erit. Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cogitauit. Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama vnum bonum in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est. Quid enim amas caro mea? quid desideras Anima mea? Ibi est, ibi est, quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol; si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit; erunt similes Angelis DEI: quia seminatur corpus animale; & surget corpus spirituale, potestate vtique,*

S. Ansel. in Prosologio c. 25.

Matt. 13.

1. Cor. 15.

que, non natura. Si longa & salubris vita, ibi sana est æternitas, & æterna sanitas; quia iusti in perpetuum viuent, & salus iustorum à Domino. Sap. 5. Si satietas, satiabuntur, cum apparuerit Psal. 36. gloria DEI. Si ebrietas, inebriabuntur ab vbertate Domus DEI. Psal. 16. Si melodia, ibi Angelorum Psal. 35. chori concinunt sine fine DEO. Si qualibet non Psal. 35. immunda, sed munda voluptas, torrente voluptatis tuæ potabis eos, DEVS. Si sapientia, ipsa DEI sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia, diligent DEVM plusquam seipsos, & inuicem tanquam seipsos, & DEVS illos, plusquam illi seipsos: quia illi illum, & se, & inuicem per illum, & ille se & illos per seipsum. Si concordia, omnibus illis erit vna voluntas: quia nulla illis erit, nisi sola DEI voluntas. Si potestas, omnipotẽtes erunt suæ voluntatis, vt DEVS suæ: nã sicut poterit DEVS, quod volet per seipsum; ita poterunt illi, quod volunt per illum; quia sicut illi non aliud volent, quàm, quod ille; ita ille volet, quidquid illi volent; & quod ille volet, non poterit non esse. Si honor & diuitiæ, DEVS seruos suos bonos & fideles supra multa consti- Luc. 12. tuet: immo Filiȳ DEI & Dȳ vocabuntur, & vbi erit Filius eius, ibi erunt & illi, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi. Si vera Rom. 8. securitas, certè ita certi erunt, nunquam &

nullatenus iſta, vel potius iſtud bonum ſibi defuturum, ſicut certi erunt, ſe non ſua ſponte illud amiſſuros, nec dilectorem DEVM illud dilectoribus ſuis inuitis ablaturum: nec aliquid DEO potentius inuitos DEVM & illos ſeparaturum. Gaudium verò quale & quantum eſt, vbi tale, aut tantum bonum eſt? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imo obrutum ærumnis, quantum gauderes ſi his omnibus abundares? Hæc Anſelmus.

Caput XIV.

LABYRINTHI, AN COELI SIT LAETIOR FAELICITAS?

§. I. *Rerum fluxarum gaudia non eſſe amanda.*

I. IRABILIS quorundam infantium eſt natura; dormire in cunis & quieſcere non poſſunt, niſi identidem agitentur, & iam in hanc, iam in illam partem trahantur. In vno loco conſtituti vagirent; dum rotantur, ceſſant plorare. Ita illis motus ipſe eſt pro quiete: & lætari, eſt mutari. Quæ puerilis lætitia etiã Ægyptijs, immo omnibus, quotquot ad Ægyptium *Labyrinthum* ſpectandum confluxerunt, arriſit. Quid enim

aliud

aliud in *Labyrintho* illos delectauit, quàm perpetuus quidam ambitus, & vicissitudo ædificiorum, ac flexuum, per quos, veluti naso, circumducebantur? vt irent, redirent; & quà paulo priùs exierant, mox iterũ intrarent. Sic *in circuitu ambulabant*, motu delectati, & varietate murorum atque ædificiorum; seque ipsos fallentes, vt, in paruis ambagibus, existimarent se magna itinera confecisse. Quibus pares sunt homines sanctitate *paruuli, vt paruuli sapientes, vanitatemq́; & mendacium quærentes*, hoc est, bona fugacia, & sæpe etiam falsa amantes, atque ex illis gaudia inania & fluxa captantes. Quæ cum per se sint leuia & breuia, sæpe tamen pariunt æternos grauissimosq; cruciatus. *Egrediuntur*, ait Iob, *quasi greges, paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Scilicet errore ducti, choreas, epulas, diuitias, voluptates, dignitates magni æstimant. At hæc, licet vulgò bona nominentur, apud Christianos tamen, tantùm abest, vt bona sint, vt etiam (quia malorum caussa sunt) mala, &, quæ illis con-

Psal. 11.9.

II.

1. *Cor.* 13. 11.

Psal. 4.3.

Iob. 21.11.

contraria sunt, bona censeantur. Quare nonnulli prauo iudicio hæc peruertentes meritò audiunt : *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum ; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras :* qui iudicatis stantia & æterna bona moueri, mota autem & fluxa stare arbitramini ; atque idcirco illa, quasi fugitiua fugitis ; hæc tanquam stabilia & semper duratura obuio amplexu quæritatis. Grauissimus error est, contraria pro contrarijs aspicere. Quem errorem Christus cum exemplo, tum verbo insigniter detexit. Si enim ille *sciuit eligere bonum, & reprobare malum,* cur illa non elegit, quæ vulgus amat, & in quibus gaudet ; sed potiùs contraria, paupertatem, humilitatem, labores? Immo cur *pauperes*, & eos, *qui lugent, qui persecutionem patiuntur, beatos* pronunciauit? Nimirum, quia terrena illa bona, sæpe magnum obijciunt virtutibus impedimentum ; quod per contraria tolli solet ; quæ vtique viam aperiunt ad patientiam humilitatemque Christianam ; amoremque diuinum nutriunt, quem extinguunt plerumque ea, quæ illi opponuntur, eo ipso, quia amorem vitiosum nutriunt. Et tamen adhuc ista

Isa.5.20.

III.

Isa.7.11.

Math.5.3.

iſta bona, illa mala iudicantur? hæc durantia & immortalis animæ amore digna, illa fugitiua cenſentur, & quæ odium nouercale mereantur? Cur è glacie calices IV.
non facimus? Res futilis eſt glacies, & quæ ad quemuis calorem liqueſcit. Cur niueas domos non extruimus? Vix ad aliquot dies ſtarent, hyemis tantùm, non etiam æſtatis patientes. Quin & in ipſa quoque bruma, tanquam nimis frigidæ, inutiles eſſent ad habitandum. Et gaudia terræ amamus, glacie fragiliora, niue fugaciora, hyeme ipſa frigidiora? Et quidem ita frigida, vt calorem diuinum opprimant & extinguant. Quærit Alexander *Alex. l. 1. Problem. 20.* Aphrodiſeus: *Quam ob cauſſam qui lætitia exultant, reſoluantur?* Et reſpondet. *Quoniam vitalis vis & inſitus calor foras* ad *rem lætabilem immodicè profluens diſpalatur, ac interit. Vnde fit, vt & ſudent, & rubeant ſanguinis aduentu. Calorem enim natiuum, ignemq́ ipſum, vt per loci ſui appetitionem ſurſum efferri, ſic per alimenti deſiderium ima petere neceſſe eſt. Igitur vtralibet mouendi ratione peremta, calor inſitus interit, & vis omnis vitalis euaneſcit.* Eadem eſt ratio gaudij terreni, in quod omnis vis amoris noſtri

effunditur, dissipatur, & perditur. Hinc calor cordis nostri nec sursum ad diuina & cœlestia potest tendere, nec hominem inferiorem alimento spiritali vegetare. Fit ergo vt toti frigidi reddamur, & vi vitali perdita, nec gaudia præsentia diu retineamus, nec futura consequamur. Non potest enim diu retineri vitæ huius lætitia tot alioqui spinis implexa; etsi ad extremum vsque halitum sæpe saltem amor illius retineatur, tandem tamen & ille euanescit.

V. Vt proinde magna sit Mundi istius, felicitatisque eius, cum humano cadauere similitudo. Aiunt Græcos mortuis ter iusta persoluere, *die Tertia, Nona, Quadragesima. Tertia, quòd mortuus die tertio immutatur, agnitione faciei amissa: Nona, quòd nono die totum corpus diffluit, præter cor; Quadragesima, quòd quadragesimo die ipsum cor quoque perit.* Sic gaudium omne humanum, vix vnquam sincerum perseuerat dies tres, & iam statim vultum mutat ac corrugat. Die nono quoties totum diffluit, & in luctum vertitur? Vltimum est cor, & amor gaudij humani, qui tamen & ipse tandē perit, cum pereunt vana amantes. Quis ergo hac se glacie, ista niue, quæ tam citò liquitur, capi patiatur?

Ita habetur in Crusij Turcogræcia.

§. II.

§. II. *Amoris, Gaudijq́; cœlestis ac beati æternitas.*

Longè alius est *Amor Beatorum*, & gaudia ex illo nata. Amor ille verus est, sicut & rerum verarum. Amor constans est. Amor pater gaudij nunquam terminandi. Amor excludens omnem culpam, omnem mutabilitatem, omnem calamitatem. Ægyræ quondam simulachrum *Amoris terreni Volucer Cupido*, exquisito consilio, cum Fortunæ simulachro iunctus. Quia in *amore humano* Fortuna dominatur, leuibusque pennis auolat, quò eum impetus fert & libido. Longè alius *Amor* est in cœlo. *Ibi est lux sine defectu*, ait S. Gregorius, *gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Ibi sancti & humiles corde, ibi spiritus & animæ iustorum, ibi cuncti Cœlestis patriæ Ciues, & beatorum spirituum ordines Regem in decore suo videntes, & in gloria virtutis eius exultantes. Perfecta viget in omnibus Charitas, vna omnium lætitia, vna iucunditas. Bone IESV, Verbum Patris, splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam, vt à spiritu tuo*

VI.

Pausan. in Achaicis.

S.Gregor. in fine 7. Psal.Pænit.

tu tuo bono deductus, ad beatam illam perueniam Ciuitatem, vbi est dies æternus, & vnus omnium spiritus: vbi est certa securitas, & secura æternitas, æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas; felix suauitas, & suauis iucunditas: vbi tu DEVS cum Patre & spiritu sancto viuis & regnas per infinita sæculorum
VII. *sæcula.* Hæc Gregorius. Jtaque non volaticus est *Amor* cœlitum, neque imperio Fortunæ subiectus. Nec voluptas quoque fluxa est, aut alata. Etenim si voluptas ex *amore* necessitate quadam nascitur, non potest non gaudium illud continuum esse, ac sempiternum; cum *amor* quoque stabilis ac immutabilis sit futurus, saltem qua parte circa bonum Dei intrinsecum versatur. Quippe & visio Dei est immutabilis, ex qua *amor* ille, non pro arbitrio amantium, sed necessitate quadam effundetur. Certa ergo & constans visio, certum pariet & constantem in Beatis *amorem:* atque hic rursus certam & semper durantem voluptatem; cum qua quies erit coniuncta. Cessabit enim desiderij motus, bono gaudioque obtento; quia nihil habebit animus, quod vlterius desideret, si gaudium persentiscat. Quod proinde com-

complementum eſt, & vltima perfectio eorum motuum, qui in animo exiſtunt. Igitur ſi ſanctis ſemper erit quies, ſi in ſumma perfectione ſemper erunt, ſi bonum ſemper obtinebunt, quod amant; profectò etiam ſemper, ac ſine vlla intermiſſione gaudebunt. Eſt enim gaudium nihil aliud, quàm *quædam vitalis ſuauitas, ad præſentiam boni amati per modum proprietatis reſultans, neceſſarioq; emicans*; quod etiam de oblectatione ſenſuum ſuo modo eſt intelligendum. Quapropter Beati, vt rectè S. Anſelmus dixit, *vtiq; tantùm gaudebunt, quantùm amabunt*, (& tam diu gaudebunt, quàm diu amabunt) rurſumque *tantùm amabunt, quantùm cognoſcent. Quantùm te cognoſcent Domine tunc, & quantùm te amabunt? Certè nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit in hac vita, quantùm te cognoſcent & amabunt in illa vita.* Quouſque autem cognoſcent, amabunt, gaudebunt? An tres dies? aut tres annos? aut tres ætates? vel tria ſecula? Ignoſcite, ſi non reſpondeo. Non poteſt tempus aut terminus nominari in æternitate.

Vide S. Th. 1. 2. q. 31. a. 3.

S. Anſel. Proſolog. cap. 26.

§. III.

§. III. *Caussæ cœlestium gaudiorum.*

VIII. Ex quibus palam est, quanta sit excellentia cœlestium gaudiorum. Quantò enim caussæ gaudendi sunt maiores, tantò necesse est etiam ipsa gaudia magis excellere. Quatuor vniuersim ad gaudium caussæ concurrunt. Boni præsentia, Boni amor, cognitio præsentiæ, Anima ipsa, seu eius potentia, quæ bonum percipit. Quin & Bonum quoque ipsum quod esse præsens, amari, cognoscique & sentiri potest, varium solet esse. Quò igitur isthæc sunt sublimiora & diuiniora, eò gaudium nascitur præstantius. Siquidem magnitudo delectationis crescit, quantùm ipsum bonum crescit, quod delectat; perfectiorq; potentia, cognitio, ac amor perfectiorem trahit voluptatem. Igitur hæc omnia in cœlo cum sint summa, summam quoque ibi esse voluptatem oportet. Nulli vnquam auaro tam sui nummi sunt præsentes, quàm Beatis Deus. Nulla potentia est perfectior intellectu, quem lumen gloriæ illustrat; hac autem potentia sancti summum Bonum possident, præsentissimumque esse cognoscunt. Sed & visionem clarissimam, amor inflammatissimus sequi-

ſequitur: & obiecta, quæ ibi delectant, alia ſunt infinitæ venuſtatis, ſuauitatis, bonitatis; alia plurima, ſaltem infinitâ pulchritudine, dulcedine & perfectione, participatione quadam, imbuentur. Primò & primariò gaudebunt de ipſo Deo, cuius interna bona eos, ſuper cetera omnia, ineffabili voluptate perfundent. *Primum enim virtutis erit*, ait S. Auguſtinus, *ipſe, qui virtutem dedit, & qui ſe ipſum, quo meliùs & maius nihil poſſit eſſe, promiſit. Quid enim eſt aliud, quod per prophetam dixit; Ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi plebs: niſi, ego ero vnde ſatientur; ego ero quæcunque ab omnibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona? Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apoſtolus, vt ſit Deus omnia in omnibus.* Gaudebunt ergo ante & ſuper omnia ſancti de SS. Trinitate, deque omnibus eius bonis, quibus infinitè amabilis erit. Cernent enim euidentiſſimè infinitam illius potentiam, ſapientiam, bonitatem, virtutem, pulchritudinem, immenſitatem, æternitatem. Perſpicient eum eſſe omnium conditorem, finem, exemplar, conſeruatorem, gubernatorē. Videbunt

IX.

S. Auguſtin. l. 22. de Ciuit. cap. vlt.

omne

omne in illo bonum eminentissimo perfectissimoq; modo contineri. Et quia Deũ sine comparatione plus amabunt, quàm se ipsos; sine comparatione etiam, illi hæc talia bona volentes, de illis maius gaudiũ concipient, quàm de suis. Vnde hæc sola gaudiorum caussa illis sufficeret, sicut Philippus sufficere iudicauit, cum diceret:
Io.14.8. *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Cui enim Deus non sufficit, in quo est omne bonum, & quidem modo perfectissimo, illi nihil sufficit.
X. Secundò gaudebunt de extrinsecis Dei bonis, deque ijs ampliùs, è quibus amplior Dei gloria relucet; vt est humanitas Christi, & vnio hy-
Io.17.3. postatica. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Si enim gaudere solent homines, quòd è sua familia nominare possint, qui Episcopus, qui Princeps, qui Cæsar fuerit: si mater filiorum Zebedei tam libenter vidisset, vnum à dextris, & alterum filiorum suorum à sinistris Christi sedere: quantum homini gaudium erit intueri, naturam suam ad tantam dignitatem euectam, vt idem, qui est homo, sit Deus, ipseq; sit frater eius hominis, qui est Deus,

& in

& in quo vita beata consistit? *Non confunditur fratres eos vocare, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Præter hoc ex Christo percipiendum gaudium erit & illud, quod sancti ex aspectu corporis illius pulcherrimè gloriosi conciliabunt. Tertium gaudium sentient de gloria, quæ in Deum ex ipso statu, & amænitate loci redundabit. *Erit enim lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum.* Nox ergo, & tenebræ tristitijs aptæ ibi nō erunt, sed lætitiæ mater lux copiosissima voluptatem incendet. Quartò gaudium gignet multitudo saluandorum. Gaudemus quippe, si multi sint pro nobis, aut ex parte nostra. At ibi *turba magna* erit, *quam dinumerare nemo poterit*. Sicut ergo duæ faces lumen efficiunt maius, & centum faces, centies clariùs lucent, ita maxima multitudo maximam afferet delectationem.

Heb. 2. 11. *Ps. 21. 23.* XI. *Isa. 30. 26.* XII. *Apoc. 7. 9.*

XIII. Nec multitudo tantùm, sed quintò etiam nobilitas illius beatæ societatis magnos gaudiorum nimbos quaquà diffundet. Ibi augustissima Dei mater, ibi Angeli, Archangeli splendidissimis agminibus occurrentes, ibi Patriarchæ, Prophetæ,

Reges, Duces, Principes, Apoſtoli, Martyres, Doctores, Eremitæ, Confeſſores, Virgines, Viduæ & toti exercitus amicorum, fratrum, conſanguineorum, parentum ſua nos beatitudine beabunt. Quos omnes quantò pluris facimus, tantò cum maiore animi voluptate ſumus contemplaturi; eorum corpore ſplendido nouiſque dotibus exornato pariter, & anima di-
XIV. uinis donis plena delectandi. Sextò gaudebunt intuitu admirabilis ſtructuræ, & prouidentiæ, qua fundata Eccleſia in terris militans gubernatorem auctoremque ſuum laudauit; immo & totius Vniuerſi ſapientiſſima œconomia Deum laudans
XV. illis cauſſa erit lætandi. Septimò gaudebunt etiam de proprijs bonis, de propria viſione & poſſeſſione ſummi boni, atque
Pſal.118. infiniti theſauri, *ſuper aurum & topazion*; de proprio honore, de propria dignitate, de propria pulchritudine, fulgore, velocitate, immortalitate, de proprijs gaudijs,
Io.16.22. quæ *nemo tollet* ab ipſis; de proprijs virtutibus ſummam iam perfectionem adeptis; de proprijs ſcientijs; de ſecuritate, in qua erunt, & de periculis innumeris, quæ ſcient ſe euaſiſſe; præſertim cum aſpexerint

rint æternas illas gehennæ pœnas, & formidanda inferorum incendia, multitudinemq́ue innumerabilem, ac penè infinitam eorum, qui ardebunt, atque in illos ardores inciderunt non alijs periculis, quàm quibus etiam illi expoſiti fuerunt, qui tunc ſe ad felicem ſecurumq́ue beatitudinis portum perueniſſe cernent. E tot fontibus gaud[illegible]um, quantum neceſſe eſt voluptatis pro[illegible]anare? In compendio id indicauit S. Vigilantius, cui, vt eſt apud accuratiſſimum Heribertum Roſvveydũ, martyrio laureatus apparuit in ſomnis S. Aſtion, rogitans eum, vt adiret parentes ſuos, eoſq́ue adhuc gentiles ad Chriſtum conuerteret, ac eis ſuam mortem martyriumq́ue dexterè nunciaret. Parui: S. Vigilantius, ac vt parentum dolorem de filij morte leniret, initio rem diſſimulauit, dixitq́ue Aſtionem adhuc viuere. Roganti matri, in qua regione & vrbe, qua ratione & modo viueret, reſpondit: *Regio robuſtorum, ſeu fortium virorum eſt. Plures ibi & valde nobiles degunt, quorum poſſeſſio paradiſus dicitur, quorum tabernacula ex lumine ſunt conſtructa, quorum vita DEVS eſt, & conuerſatio immortalis exiſtit: quorum veſtes*

XVI.
In Vita S. Aſtionis, quæ extat apud Heribertum RosVVeydum in Vitis Patrum.

ſanguine ſunt reſperſæ, & in capite corona de auro puriſſimo cum gemmis varijs fabricata. Rex eorum potentiſſimus, cuius nomen DEVS Deorum, & Dominus Dominantium; cuius Angeli nuncij dicuntur iuſtitiæ, quorum veſtis vna eſt omnibus, & tactus illorum igni aſſimilatur vrenti. Senatus huius Imperatoris valde clarus habetur: media pars Prophetæ nuncupatur, alij verò Apoſtoli pronuntiantur. Ciuitas valde præclara, nomenq; eius Chriſtipolis, cuius murus ex auro puriſſimo habens portas duodecim, & in ipſis ſingulæ dependent Margaritæ, atq; ſinguli ex ſenatoribus per ſingulas ſedent. Prima porta dicitur Petri, ſecunda Pauli, tertia Andreæ; quarta Iohannis, quinta Iacobi, ſexta Philippi; ſeptima Bartholomæi; octaua Thomæ, nona Matthæi; decima Thaddæi; vndecima Si-
XVII. *monis; duodecima Mathiæ.* Pergit templum eius deſcribere. *Sed & templum mirificum eſt in ea, habens ſancta ſanctorum & altare aureum, ante cuius conſpectum vir aſtat mirificus tenens decem chordarum pſalterium, ac iugiter ibidem degentes ad laudem Regis illius cohortatur dicens Laudate Dominum de Cælis, laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Huius itaque nomen Dauid, filius Ieſſe pronuntiatur. Sed & plateæ huius*

huius Ciuitatis ex auro purissimo sunt strata: cuius fluuius vitam æternam emanat; cuius pomifera per singulos menses reddunt fructus suos, & folia eorum ad medicamentum procedunt Animarum: cuius lumen inenarrabile est, & portæ nunquam clauduntur, eò quòd nunquam ibi nox erit, nec vllæ tenebræ; sed semper gaudium & perpetua lætitia ibidem commoratur.

§. IV. *Quàm stultè agant, qui caduca gaudia æternis anteponunt?*

Nonne hoc est *gaudium plenum?* de quo meritò S. Anselmus dixerit: *Inueni gaudium quoddam plenum, & plus quàm plenum. Pleno quippe corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine gaudio illo; adhuc supra modum supererit gaudium. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium Domini.* Pro hoc gaudio quid non faciendum? quid non deferendum? *Ridiculus Xerxes ille est,* ait Ælianus, *quòd cum mari terrisq́; Iouis operibus posthabitis, noua itinera, & insolitam nauigationem sibi parasset, seruiuit platano, & arborem coluit. In Lydia igitur, vt rumor fert, cum vidisset proceram platanum, integrum* XVIII. *S. Ansel. in Prosolog. c. 26.* *Ælian. lib. 2. Variar. c. 14.*

diem ibi comoratus est, nulla postulante necessitate, & castra posuit in solitudine circa platanum. Sed & multiplicem, & pretiosum ornatum ex ea suspendit, torquibus armillisq́ue ramos veneratus; & curatorem ei reliquit quasi custodem, & propugnatorem amasiæ. Sed quid tandem ex his ad arborem emolumenti rediit? Nam ornatus appostititius, & nihil ad ipsam pertinens frustra pependit, neque vllum momentum ad arboris pulchritudinem attulit. Nam in arboribus commendantur generósi rami, coma densa, stirps firma ac stabilis, radices in profundum actæ, ventorum agitatio, vmbræ ex iis procedentis amplitudo, cedentes inuicem anni partes; aqua partim alueis inducta ad alendum, partim missa de cælo ad irrigandum. At Chlamydes Xerxis, & aurum barbari reliquaq́ue munera, neque ad Platani, neque vllius alterius arboris generositatem quicquam faciunt.

XIX. Hanc Xerxis stultitiam, cum tanto exercitu, tanto sumtu, subsistentis, vt vnius arboris, vel à bipenni, vel à vento deijciēdæ, & in ignem inijciendæ vmbram captare posset, mirantur historici, rident Christiani, & tamen penè imitantur vniuersi. Rex est homo si vult, *seruire* enim *Deo regnare est*. Hic rex non modò ad exemplū, sed

ſed ſuper exemplum Xerxis noua itinera per maria & montes, ſed etiam per totum Mundum, ad cœlum vſque facere poteſt. Illuc debet ſecum quendam totum exercitum ducere talentorum à Deo acceptorum. Ibi gaudia, ibi triumphos quærere, ac dicere deberet: *Quidquid mihi, præter Deum eſt, dulce non eſt: quidquid mihi vult dare, Dominus meus, auferat totum, & ſe mihi det.* At ille cœli oblitus, platano, vmbræque ſeruit, *ibi commoratur, nulla poſtulante neceſſitate, & caſtra ponit in ſolitudine circa platanum.* Quid enim omnes fluxæ deliciæ aliud ſunt, quàm platani vmbra, cum ſole declinatura? & vbi ſenectutis bruma, aut pruina mortis virorem vigoremque illis ademerit, quid ex vmbra iſta relinquetur? Et tamen in hac vmbra, & vita tã multi, quidquid habent precioſi, quidquid opum, quidquid valetudinis, quidquid virium, quidquid ingenij, indolis, ætatis, ſuſpendunt, dicant, conſecrant? Icon igitur humanæ ſtultitiæ eſt Xerxes.

S. Auguſtin. in Pſal. 26. Enar. 2.

XX. Immo ſuperat ſtultitia Xerxem, qui, vt S. Laurentius Iuſtinianus loquitur, *hanc peregrinationem pro patria diligit:* nam *profectò, inter dolores, dolere neſcit*, & ad maxi-

S. Laur. Iuſtin. l. de lign. vitæ tit. fides. c. 5.

ma natus ac factus à Deo, non vno duntaxat die, sed tota sæpe vita, vilissimarum rerum amore cogitationes suas inquinat; ea enim amat, quæ vel non possunt, vel non volũt redamare. Quin singulari studio afficitur, & ornamentis maximis colit, quæ ab omni ornamento maximè sunt aliena. Quàm isti tali rectè dicit S. Bernardus? *Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine iam ea sequi, quæ & assequi miserum est.* Nam *quid prosunt diuitiæ* (ait pulcherrimè S. Innocentius III.) *quid epulæ, quid deliciæ? non liberabunt à morte, non defendent à verme, non eripient à fætore.* Quidquid ergo diuitiarum corradis, quoscunque thesauros colligis, folia sunt platani, sub initium hyemis casura. Quidquid epularum ac deliciarum carpis, vmbræ arboris comparatur. Quid vmbra vanius? Fugit, & in æstu destituit dormientem. Ita epulæ deliciæque facient. Fugient, & in morte te relinquent. Optimus igitur earum vsus est, vt priùs relinquantur; & non iam in platano, sed in cruce Christi appendantur. Sic enim consulit Apostolus dicens: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis suis;* omnibus-

S. Bern. epist. 103.

S. Innocent. lib. 3. de cõtẽptu Mundi c. 1.

Gal. 5. 24.

nibuſque rebus concupitis. Hoc enim Amori diuino trophæum ſtatuerunt. At qui non ſtatuerunt, *qui carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis ſuis*, non *crucifixerunt*, illi meritò agnoſcunt ſe Chriſti non eſſe, neque regnum cœlorum poſſeſſuros. Siquidem *ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Quænam illa *precioſa* eſt *margarita*? An Cleopatræ? quæ duos vniones habuit valentes ſexcenties ſeſtertium, id eſt, duodecies centena millia Philippicorum, vt Plinius affirmat. Qui & ornatum Lolliæ Paulinæ margaritis conſtantem, quadringenties ſeſtertium, id eſt, octingētis millibus Philippicorum æſtimauit. Magnum precium in vnicam feminam impenſum, quæ fortè ipſa ne teruncio quidem fuerat æſtimanda. Longè precioſior eſt gemma, multò nobilior margarita, qua Deus animam beatam in cœlo ornat. Hanc gemmam qui inuenit, prudens vtique eſt negotiator, ſi pro ea *omnia vendit, quæ habet, vt emat eam.* Nam in comparatione illius cetera omnia ſunt contemnenda: non cu-

XXI.

Matth. 13. 46.

Plin. l. 9. *cap.* 35.

randæ voluptates, non metuendi labores; non refugiendum, quidquid eſt in hac vita durum & aſperum. Quippe S.Bernardo teſte, in hac vita, *guttatim pœna bibitur, liquando ſumitur, per minutias tranſit: nam in remuneratione torrens eſt voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis. Flumen planè eſt, ſed quod affluat, non quod fluat, vel effluat. Flumen vocatur, non quod tranſeat, vel pertranſeat, ſed quod abundet.*

S.Bern. ſerm. 1. *de diuerſis.*

XXII. *Si* igitur *bona quærimus, illa diligamus, quæ ſine fine habebimus: ſi autem mala pertimeſcimus, illa timeamus, quæ à reprobis ſine fine tolerantur,* ait Sanctus Gregorius. Quid ſub arbore, quæ mox areſcet, ſub vmbra, quæ mox fugiet, cum Xerxe quieſcimus? *Illa bona diligamus, quæ ſine fine habebimus*; quæque comparatione æſtimata infinitè ſunt maiora & ſuauiora, quàm omnia, quæ in hac mortali vita inueniuntur. Si enim vniuerſa mundi gaudia, ſi cunctæ ſenſuum omnium oblectationes, quæ in terris poſſunt contingere, in vnum conflarentur, & ſine fine ſemper magis magiſque augerentur; nunquam tamen eo aſcenderent, vt poſſent gaudijs Beatorum coæquari; quæ

S.Gregor. lib.6.regiſtr.ep. 190.


quæ ſuperioris, nempe diuini, ſunt ordinis, quare etiam ſuauitatem habent ordinis longè altioris. Hinc adeò fit, vt illa cœleſtium voluptas omnem huius mundi voluptatem plus dulcedine ſua excedat, quàm totus Oceanus vnicam pluuiæ guttam. Gutta namque ita multiplicari poſſet, vt tandem in Oceanum excreſceret: à quo ſola differt quantitate. Sed Mundi huius deliciæ licet infinities congeminentur, & multiplicentur, cum ſint diuerſæ rationis ac naturæ, nulla vnquam congeminatione, & multiplicatione poſſunt ad magnitudinem cœleſtium gaudiorum perduci. Itaque non modò bona illius XXIII. ſtatus infinities antecellunt huius vitæ bonis, ſed etiam ipſa voluptas, quæ de illis percipitur, infinities eſt præſtantior omni huius Mundi voluptate. Ex quo conſequens eſt, vt cum S. Leone dicamus: *Laudetur Deus, qui hominum vſui tam multa donauit: ſed agnoſcat rationalis anima maiores delitias menti datas eſſe, quàm carni.* Agnoſcat, & minora maioribus non præferat; neque ita vmbras diligat, vt obliuiſcatur eius, qui eſt ſuper omnia diligendus. Grauiter S. Laurentius Iuſtinianus: *Cum omnia*, ait,

S. Leo ſerm. 4. de ieiun. Pent.

ait, *non amentur, nisi quia bona sunt, pudeat hominem, eis inhærendo, non amare bonum ipsum, vnde bona sunt.* Immo, si vel maximè hæc sensuum gaudia amat, amet ea, vbi sunt maxima; nempe ibi, vbi cum bono maximo sunt coniuncta. Scribit Origenes, & historici nonnulli, inter conchylia esse vnum quoddam maximum, & pulchritudine margaritæ intra se reconditæ venustissimum, quod quasi ducem cetera conchylia turmatim sequantur. Igitur vrinatores hoc maximum, præ ceteris, studio peculiari venantur, eo enim capto, facilè vnà capiunt reliquum totum agmen, omnesque in eo agmine inclusas margaritas. Hanc artem voluptates capiendi docet Christus omnes gaudiorum captatores, dum ait: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adÿcientur vobis.*

Origen. tract. 13. in Matth. Et Plin. l. 9. c. 35.

Matth. 6. 33. Luc. 12. 31.



Caput

Caput XV.

VT IN LABYRINTHO MAGNVS FVIT NVMERVS DOMICILIORVM, ITA ET MAGNVM ESSE eorum, qui, ſuperatis mundi periculis, ad cœli gaudia ſecuritatemq́ue perueniunt.

§. I. *Quàm præ omni terreno habitatore felix ſit, qui habitat in domo Domini?*



SCRIBIT eruditus & grauis auctor Plutarchus, in ſeptem ſapientum ſympoſio iniectum eſſe aliquando ſermonem, & problema poſitum iſtud: *Quænam maximè felix domus foret?* Ad hanc quæſtionem ſeptem ſapientes ſeptem reddiderunt reſponſiones. Primus Solon pronunciauit, *illam domum maximè fore felicem, in qua pecuniæ haberentur cum triplici conditione.* Sed conditiones poſuit admodum difficiles, & quæ rarò cum pecunia ſociatæ inueniuntur. Prima erat, *vt pecuniæ illæ bono eſſent modo,* hoc eſt, ſine vi, ſine fraude, ſine dolo *comparatæ.* Altera, *vt earum pecuniarum cuſtodes non eſſent infidi.* Tertia, *vt pecunias illas erogatas pœnitentia non ſubſequeretur.* In tali domo diuites Solon, *quaſi diuos* aliquos deoſq; fore exiſtimabat. Bias autem eam domum

I. *Plutarch. in ſympoſ. 7. Sapiẽt.*

domum arbitrabatur maximè fore felicem, *in qua dominus existeret talis per se, qualis extra domum est ex lege.* Thales illam domum ceteris prætulit, *in qua pingui ocio domino perfrui liceret.* Cleobulus illam, *in qua plures multo essent, qui dominum amarent, quàm qui reformidarent.* Pittacus illam, *quæ tum necessarijs, tum redundantibus superflueret.* Chilon, *quæ administrationi regiæ similis esset.* Lycurgus, *quæ democratiæ.* Ita isti
Ps. 143. 15. *beatum dixerunt populum* & domum, *cui hæc sunt.* Quis eorum ad scopum quæstionis & veritatis propiùs accesserit, longum esset disputare.
II. Ego longè veriùs dicam, illam maximè domum fore felicem, in qua hæc, aut pleraque, aut omnino omnia perfectissimè reperiantur, atque insuper alia longè optabiliora. Et quidem talis est domus Domini, domus seruorum Domini, omniumque beatorum. Ibi merita sanctorum, quibus cœlum emerunt, instar optimæ sunt monetæ, iustissimo vtique titulo sanguinis Christi acquisitæ; & ita expensæ, vt non modò cœlites meritorum suorum non pœniteat, sed vt, si cuiusquam illos rei pœnitere posset, illius solùm pœniteret, *non plus expendisse.* Iam verò

verò custodes ibi tam sunt fidi, vt nihil sit prorsus ab vllius rapina, aut furto metuendum. Quamobrem ipsa veritas ait: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi ærugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur; & vbi fures non effodiunt, neque furantur.* Habet ergo domus Domini felicitatem à Solone requisitam. Sed & Biantis. Nam *in ea talis existit Dominus per se, qualis extra eam*, & vbique *est*, ex æterna lege. Idem enim vbique est, qui immutabilis est. Nec ex lege duntaxat est bonus, qui supra legem est, immo qui ipse est lex ceterorum. Quem & ceteri sancti imitantur. Si enim *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt,* &, *eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex:* quanto magis iusti, & præcipuè illi, qui sunt in iustitia & omni virtute confirmati? Apud nullos enim magis valet illud: *lex iusto non est posita, sed iniustis.* Est igitur in domo sanctorum etiam innocentia, quam Bias exegit ad domus alicuius felicitatem.

Matth. 6. 20. — III. — *Rom. 2. 14.* — *1. Tim. 1. 9.*

IV. Nec innocentia tantùm, verùm etiam *pingue* illud Thaletis *ocium.* Ocium quidem,

Ps.45.11. dem, quia idcirco dicitur: *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* Nulla vſquam *vacatio* ſuauior eſt, quàm in cœleſti patria, in qua Deum patrem licet videre. Ibi pingue illud eſt ocium, ad quod Dauidis
Ps.62.6. anima anhelauit, cum diceret: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.* Quàm pingue ocium, vbi anima *adipe frumenti* & panis, qui de cœlo in Bethlehem, hoc eſt, *domum panis* deſcendit, ſaginata, & velut amore ebria cantare incipit, atque labijs
V. exultationis Dominum laudare? Itaque & Cleobuli votum in cœlo impletur: vbi omnes in Domino exultant, & ſine dubio *plures ſunt, qui eum ament*, quàm qui reformident: cum omnes ament, nemo refor-
1.Io.4.18. midet. Si quidem *timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet; qui autem timet,*
VI. *non eſt perfectus in charitate.* Neque Pittaci deſideriũ deeſt. Quippe in benedicta illa terra, omnia *& neceſſarijs, & abundanti-*
Io.10.10. *bus ſuperfluunt. Ego veni*, ait Seruator, *vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Quã abundantiam vt haberet, & quidem ſecuriſſimam, tanquam in turribus, identidem

ora-

orauit rex ille Propheticus: *Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.* Et de sanctis: *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt: & iustitia tua exultabunt.* Ps. 121. 7. Ps. 144. 7.

VII. Denique erit ibi & Chilonis *regia*, & Lycurgi *democratica administratio. Et factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum est regnum huius mundi, Domini nostri & Christi eius, & regnabit in secula seculorum.* Ecce regia potestas. *Qui non adorauerunt bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius, in frontibus aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo.* Ecce democratia. Et quis ad tale regnum non aspiraret? quis in tam felici domo non concupisceret habitare? *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Illa ergo regia domus felix est & beata, præ omni domo à septem Græciæ sapientibus descripta. Illa per huius Mundi *Labyrinthum* quærenda, & inuenienda. Ap. 11. 15. Psal. 83. 3.

§. II. *Quàm miserum sit à beatorum domo, in quam pauci intraturi dicuntur, eliminationem metuere?*

VIII. Maximi vtique res est solatij, domum cernere tam feliciter præparatam; longe-

que maius est solatium, spem habere talis domus adipiscendæ : quemadmodum etiam nihil tristius est, quàm de ea adipiscenda desperare. Quocirca S.Prosper in libro De gloria regnoque sanctorum, hoc flagello impios potentissimè frequentissimeque verberat, dum ait: *Credo videre bona domini in terra viuentium: Hæc impij non videbunt. Sancti, omnis ætas & vterq; sexus, cum gloria* Christi *ad tricennalem iuuentutem (in qua Christus dominus passus)* transibunt, *cum ipso rege suo, quem impij non videbunt.* Hierusalem noua & libera erit, in qua malum nullum erit: *& huius patriæ gloriam impij non videbunt. Tunc iusti fulgebunt sicut Sol, &c. & hanc gloriam impij non videbunt. Diuersis honoribus sine inuidia* decorabuntur: *impij non videbunt. Quo sequantur virgines, impij non videbunt.* Accipient sancti mirifica gaudia: *Sancti cum hæc acceperint, impij non videbunt. Quemadmodum sancti videant Deum, Trinitatem, patrem in filio, filium in patre, spiritum sanctum & in patre & in filio, impij non videbunt.* Gloriam sanctorum *impij non videbunt*: Regnum sanctorum *impij non videbunt.* Cantica sanctorum *impij nec audient, nec videbunt.*

S. Prosper De gloria regnoq; sanctor. cap. 1. & seqq.

Psal. 26.

Et

Et quod vel pijs horrorem potest incutere, etiam ij, qui hæc videbunt, pauci futuri esse dicuntur. *Quàm angusta porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitam*, ait ipsa vita, *&* PAVCI *sunt, qui inueniunt eam?* Et alij eum interrogantes: *Domine si* PAVCI *sunt, qui saluantur?* idem responsum retulerunt. Nec vlla iustior est caussa doloris timorisque, quàm ne, si *pauci* sunt electi, à tanta paucitate excludamur, & inter *vocatos* tantum *multos*, non etiam inter *paucos electos* inueniamur. Profectò enim tam grande est malum, esse de numero reproborum; vt si nobis constaret, in quauis ciuitate vel prouincia vnicum tantùm esse à Deo reprobatum, atque à tantis in cœlo gaudijs in omni æternitate arcendum, sufficientissimam caussam haberemus metuendi; quemadmodum & Apostoli metuerunt *contristati valde* Christo dicente: *Vnus vestrum me traditurus est.* Ita enim à proditionis illius scelere abhorruerunt, vt quāuis conscientia eos non accusaret, tamen in hoc se nondum iustificatos arbitrarentur. Quid ergo animi illis esse debet, qui & conscij sibi multorum facinorum sunt, & multos esse audiunt, ad gehennæ

IX.

Matth. 7. 14.

Luc. 13. 23.

Matth. 26. 22.

flammas damnandos, paucosque ad beatorum gaudia admittendos?

§. III. *Non ita paucos saluandos esse, vt non etiam maxima sit multitudo futura, si per se consideretur.*

X. Verùm noluit Christus nos pusillanimes fieri, ob istam paucitatem. Pauci dicuntur, quia quod preciosum est, rarum esse debet, & parum, si cum viliori comparetur. Pauci itaque sunt beati comparatione eorum, qui perire voluerunt; quorum vtique plures sunt. Hinc vel apud Poëtas *ad plures ire*, est tendere ad Acherontem. Ceterùm si illi, quorum erit in cœlo locus, sine comparatione aspiciantur, non erunt profectò pauci, sed multi, sed plurimi, sed quodammodo innumerabiles. Vt proinde rectè Christus suos consolaturus dixerit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnũ.* Et alio loco: *Non turbetur cor vestrum: quia in domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et vtique plures quàm olim in Labyrintho, de quo Herodotus ait. *Duodecim eius aulæ sunt, tecto opertæ, portis oppositis altrinsecus* (sicut duodecim in cœlesti Hierusalem portæ fuerunt) *sex ad Aquilonem contiguæ,*

Luc. 12. 32.

Io. 14. 1.

Herodot. lib. 2.

toti-

totidem ad Auſtrum vergentes, eo extrinſecus muro præcluſæ. Bifaria in eo ſunt domicilia, vna ſubterranea, altera ſuperiora illis impoſita, vtraque numero tria millia quingenta. Quorum ea quidem, quæ ſuperiora ſunt, ipſi vidimus, & quæ aſpeximus, enarramus. Subterranea verò auditu dicimus. Ad eundem penè modum S. Ioannes ſcribit: *Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis.* Quid vidiſti, Apoſtole? *Vidi turbam magnam.* Immo ipſe Dei filius, qui vidit, annunciauit, *in domo Patris ſui manſiones multas eſſe.* Quorſum manſiones multæ? ſi non multos incolas ſunt habituræ? Hæc optima conſolationis cauſſa eſt, & perplurimum refert, vt ſperare poſſimus, *quòd nomina* noſtra *ſcripta ſint in cælis*, & vt verè intelligamus, quàm facilè è tam immenſo beatorum numero eſſe valeamus.

1. Io. 1. 2. · *Luc. 10. 20.*

XI. Sic famelici & conuiuiorum ſectatores prætrepidi geſtiunt, ſi nôrint multas in triclinio ſedes apparari. Sic milites mirificè accenduntur ad obſeſſam vrbem capiendam, ſi iam videant multos è ſua cohorte in ſummos muros euaſiſſe, & vexillum fixiſſe. An non multi iam è terra hac in cœleſtis Hieruſalem arces ac mœnia aſcenderunt? *Vidi tur-* *Apoc. 7. 9.*

bam magnam, ait S. Ioannes, *quam dinumerare nemo poterat: ex omnibus gentibus & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum:* in ſignum victoriæ, quam de tot periculis inſidijſque reportauerunt. Quam Apoſtoli ſententiam, (quia omnibus Dei amicis maximum meritò ſolatium affert, inſtar pignoris cuiuſdam, quod ſint de innumerabili ac feliciſſimo hoc numero) aliquot rationibus confirmabo.

§. IV. *Ex loci capacitate intelligi, multos eſſe ad cœlum peruenturos.*

XII. Atque in primis tametſi *arcta via*, & poſt arctam viam etiam *anguſta* eſſe dicitur *porta*, non tamen idcirco non multi per eam incedunt: immo hoc ipſo dici poteſt, multos per eam incedere, quia & *viam* & *portam* ipſa arctat multitudo. Quanquam meo iudicio, *arcta via*, arctam vitam, & *anguſta porta* mortis, eaſque quas quiuis in iudicio experietur anguſtias ſignificet. Nihil autem obſtat, vt has anguſtias multi etiam ſaluandi experiantur. Alioqui cur *duodecim* in ſuperna illa ciuitate *portæ* eſſe dicerent-

cerentur? An vt portæ terreſtris Hieruſalem exprimantur, quas totidem fuiſſe affirmat Adrichomius! At eæ tantùm nouem fuerunt, vt teſtantur & probant alij ſcriptores. Tam multæ igitur inibi portæ conſpectæ ſunt, quia tam multi per eas ex Oriente & Occidente, & omni plaga mundi intromittuntur: ac præſertim, quia duodecim tribubus Iſraël, itemque duodecim Apoſtolis reſpondent. Nec pauci ſanè ex quauis tribu ſignati memorantur. Neq; enim duodecim millium numerus eſt paruus, qui cuiuis tribui eſt aſcriptus. *Apoc. 7. 5.* Denique *centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſraël* recenſentur; qui magnum numerum tunc demum conſtituere videbuntur, ſi doctiſſimos interpretes audiamus, qui docent, eos tantùm ex omni tribu Iſraël numerari, qui Apoſtolici, hoc eſt, qui præconum inſtar Deo & religioni fuêre: vel certè per duodenarium numerum, innumerum numerum ſignificari. Neque enim de nihilo eſt, quod Ioannes ait. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Et cur non XIII. ſit turba magna, quæ tam magnum occupatura eſt regnum? Fuit Philoſophus qui-

ſpiam, qui ſibi perſuadere non poterat, vnicum in immenſo illo ſpacio imaginario eſſe mundum; eo quòd abſurdum eſſe id arbitraretur non minùs, quàm ſi in ingenti agro, aut campo vnica ſpica poneretur, aut germinaret. Quanto æquius eſt ita de loco ad habitandum deſtinato ratiocinari? At quis locum illum magnum eſſe neget? *O Iſraël*, ait Baruch, *quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius?* Quàm ingens autem? Bonus geometer Angelus arundine id accuratè eſt dimenſus. Terreſtris Hieroſolymæ ambitum aiunt complexum quinquaginta ſtadia, quæ ſi in quatuor partes & latera diuidantur, erunt, pro quouis latere, duodecim ſtadia cum dimidio. At cœleſtis Hieroſolymæ longè maior eſt amplitudo, nam in ea prædictus numerus per mille eſt multiplicatus: ait enim S. Ioannes quodlibet cœleſtis illius ciuitatis latus duodecim millia ſtadiorum continere. Quia igitur ciuitas illa *duodecim* in ſui ambitu habuit *portas*, oportuit ab vna porta ad aliam vſque fuiſſe intercapedinem mille ſtadiorum. Octo porrò ſtadia conficiunt milliare Italicum. Cum ergo ambitus ciuitatis contineat duo-

Baruch. 3. 24.

Apoc. 21. 16.

Vide Vilalpandū in Apparatu Vrbis & tēpli part. 1. l. 2. c. 20.

Ita Cornel. à Lap. in Apoc. 21.

duodecim millia stadiorum, continebit 1500 milliaria Italica. Alij hoc spacium in quadruplum exaugent, eo quòd censeant longitudinem duntaxat ab vna porta ad aliam oppositam esse mensuratam. Ex quo conficitur, solam longitudinē huius ciuitatis, fuisse duodecim mille stadiorum integrorum, hoc est, 1500. milliarium Italicorum; eandemque latitudinem extitisse.

XIV. Quid aliud hic ingens ambitus, & hæc tam magna amplitudo designat, quàm ingentem cœlestis Hierusalem capacitatem? Et quamuis immanis visa sit hæc ciuitas, quæ tot milliarium spacia ambitu suo amplectebatur, adhuc tamen imago fuit spacij in cœlo empyreo longè diffusioris. Siquidem cœlum empyreum terræ globum, non millies, nec centies millies, sed plus quam decies centies millies continet. Quot igitur, & quantos hominum milliones locus tam immanis capiet? Et sanè capiet, neque enim aliqua in cœlo empyreo erit solitudo, neque beati illi incolæ adeò inter se disiungentur. Quan- XV.
quam enim alij quoque nonnulli, sicut ex *Apoc.14. v. 20.*
alio scripturæ loco conijciunt, inferni capacitatem quaquauersum extendi ad 1600

ſtadia, id eſt, ad milliaria Italica ducenta; ita pariter doceant locum beatorum in cœlo extendendum duntaxat quaquauerſum ad 375. milliaria Italica; minùs tamen mihi perſuadeo, beatos intra certos cœli cancellos coërcendos & conſtringendos. Totum cœlum noſtra eſt patria: totum cœlum ab hominibus erit occupandum. Nam ſi totum, hominum viatorũ cauſſa, eſt conditum, cur non ſit totum etiam conditum cauſſa hominũ *comprehenſorum*? Certè horum hominũ potiùs cauſſa factũ eſt, quàm Angelorum; qui cum ſint ſpiritus, non magnopere corporeo loco indigebant, in quo manerent. At homo qui glorificatum corpus erat habiturus, locum debebat habere, qui gloriæ corporis conueniret, & capax eſſet multitudinis vniuerſæ. Quia ergo cœlum empyreum adeò eſt vaſtum, vt terra ad id comparata ſit inſtar puncti, quàm neceſſe eſt eſſe innumerabilem numerum prædeſtinatorum, quorum corpora illud occupabunt?

XVI. Vnuſquiſq; enim prudens architectus in ea magnitudine domum extruit, quæ neceſſaria eſt numero eorum, qui in domo illa ſunt habitaturi: qui ſi ſemper paruo nume-

numero eſſent futuri, quàm indecenter *rari nantes in gurgite vaſto* apparerent? Quod ſi ergo ſapiens architectus magnam quampiam domum ædificat, argumento id eſt, futuros multos, quos in eam eſt introducturus. Itaque manifeſtum eſt diuinum quoq; illum architectum, in portentoſam iſtam ciuitatem multos, immo innumerabiles ciues admiſſurum. Sicut nec politicus Princeps magnam ciuitatem aratro deſignat, in quam non cogitat magnam ciuium multitudinem introducere: nec nauarchus paucos vectores in magnam nauem, aut claſſem imponit.

§. V. Ex Dei ſapientia, bonitate, iuſtitia, miſericordia, maieſtate; itemq; ex Chriſti & ſanctorum charitate, & felicitate colligi, innumeram hominum turbam eſſe ſaluandam.

Porrò ſicut locus ipſe, & ſapientia architecti, ita & bonitas infinita eiuſdem charitaſque, quæ fons eſt & radix operum eius, oſtendit, plurimos fore ciuitatis illius habitatores. Siquidem tanta bonitas non poteſt non quàm maximè propendere ad gratiæ gloriæq; ſuæ theſauros hominibus communicandos. Itaque ex ſua parte, cupit omnes ſaluos, & theſaurorum illo- XVII.

rum

rum participes fieri. Quare maximè etiam decebat, vt quasi innumerabilis hominum multitudo eos thesauros reipsa consequeretur. Ita enim immensa illa bonitas & misericordia (cuius virtutis titulos præ reliquis amat Deus) æternũ erat in beatis triumphatura.

XVIII. Quod si diuina iustitia infinitum inuênit numerũ, quem ob sua mala facinora reprobaret & plecteret, atque ita in eis excellentissimè emineret; quis ambigere potest, sociam eius misericordiam itidem non reperisse grandem numerum illorum, quibus aditum ad viscera sua opesque inexhaustas reseraret? Ergo sapientia, ergo bonitas, ergo misericordia, ergo iustitia Dei vult exigitque, vt ingens sit beatorum multitudo.

XIX. Quin & gloria ac maiestas Numinis id ipsum exigit. Æquissimum enim est in diuina aula plurimùm esse de precioso, aulicosque eo numero, qui tantum regem deceat. Siquidem *in multitudine populi dignitas regis; & in paucitate plebis ignominia principis.* Qua de caussa & Angelorum *millia millium, & decies millies centena millia* assistunt Deo. Quin etiã si S. Dionysio, S. Thomæ Aquinati, alijsque doctissimis Theologis credimus, tot sunt

Prou. 16. 28.

Dã. 7. 10.

S. Dionys. cæl. hierarch. c. 14.

S. Th. 1. p. q. 50. a. 3.

ſunt Angeli, quot vnquam & aues in auris, & piſces in vndis; & pecudes in campis, & vermes in terris, & arbores in ſiluis, & lapides, & flores, & frutices in toto mundo extiterunt. S. Thomæ verba ſunt: *Dicendum eſt, quòd etiam Angeli, ſecundùm quod ſunt immateriales ſubſtantiæ, in quadam multitudine maxima ſunt omnem materialem multitudinem excedentes*, Et S. Dionyſij illa ſunt: *Multi ſunt beati exercitus ſupernarum mentium, infirmam & conſtrictā excedentes noſtrorum materialium numerorum commenſurationem.* Quod ſi tanta eſt multitudo Angelorum Numen honorantium, cur exiguus futurus ſit numerus hominum, qui & Deū, & Chriſtum hominem Deum erunt honoraturi? Immo cur Chriſtus XX. ipſe ſuam proſapiam familiamque ſic non honoraret? cur Deus præſtantiſſimam, poſt Angelos, creaturam, in paucis tantū nobilitaret? Nam, vt S. Anſelmus tradit, *S. Anſel. lib. 1. Cur Deus homo. c. 18.* non fuerunt homines ex occaſione lapſus malorum Angelorum prædeſtinati, vt eorum ſedes occuparent; ſed quamuis illi nō cecidiſſent, tamen homines fuiſſent & creati, & prædeſtinati; eò quòd vellet eos Deus honorare, atque ex eis triumphantem

tem Ecclesiam condere, quam in sponsam ducendo infinita ipsius charitas eluceret. Vnde in decretoria illa sententia
Matth. 25.34. non dicetur: *Venite benedicti Patris mei possidete regnum* Angelis alioqui antehac preparatum; sed *paratum vobis à constitutione
S. Th. 3. p. q. 1. a. 3. Mundi.* Et quamuis, ex veriore S. Thomæ sententia, Christus non venisset, nisi peccatum antecessisset, tamen ita diuinum
Heb. 2. 16. Verbum homines dilexit, vt nollet *Angelos apprehendere: sed semen Abrahæ*, quis ergo non iudicet, huic tanto amori conuenientissimum esse, vt sicut vidit immensas Angelorũ cateruas in cœlo triũphaturas, ita vellet etiam maximos hominum exercitus ibidem lætam agitare æternitatem? Præsertim autem supposita Incarnatione, post præuisum peccatum futura: cum ad gloriam eius non parum momenti addat, vt fratres innumeros habeat, qui fructu laborum eius perfruantur. Nam caput prædestinatorum est Christus, quos eius
Eph. 1. 4. Rõ 8. 29. meritis Deus *elegit in ipso, vt esset ipse primo-*
XXI. *genitus in multis fratribus.* Nemo nescit quanti valoris precijque sanguis eius extiterit. Nempe si infiniti homines peccauissent, infinitos sufficientissimè redemisset.

set. Hunc ergo tam preciosum sanguinem cum incensissimo cordis affectu pro omnibus hominibus obtulit, vt omnes eo abluti & purpurati triumpharent, si non ipsi nõnulli triumphari à peccato maluissent. Voluit igitur amantissimus illius Pater, quantum quidem per homines illi licuit, filij sui desiderium exsaturare. Itaque infinita merita eius, innumera prædestinatorum multitudine remunerauit. Nam apud Isaiam dicitur : *pro eo quod laborauit, anima eius videbit, & saturabitur : in scientia sua iustificabit ipse multos, ideò dispertiam ei plurimos*, ait Dominus. Quid quòd etiam ipsorum sanctorum interest, vt quàm plurimi in cœlo degant? Nam præter societatem, varietatem, & maiestatem, maximũ bonum est beatorum, vt sint multi. Etenim, quia nullis inuidiæ stimulis agitantur, sed flagrantissima charitate ita sunt inter se copulati, vt quisque de alterius bono, non secus gaudeat, atque si proprium esset, fit vt eorum gaudia eò magis augeantur, quò magis augetur ipse numerus beatorum. Singuli enim omnium, & omnes singulorum gaudijs perfunduntur, vt supra ostendimus. Immo quoniam vnusquis-

Isa.53.11.

XXII.

quisque ardentissimè Deum deamat, summopere etiam delectatur, quòd videat Deum à tanta multitudine amari & honorari. Cum igitur nullum honestum bonum statui beatorum deesse oporteat, necesse est, cœlestes illos homines etiam ex hac parte esse beatos. Atque idcirco

Apoc.7.9. dixit Apostolus: *Vidi turbam magnam, quā dinumerare nemo poterat: ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni.* Hi omnes omnia pericula diaboli & Mundi vitauerunt: hi omnes vt numerum beatorũ, sic beatitudinis immensitatem auxerunt.

S. Bonau. in Stim. diuin. Amor.c.20. Ita enim & Bonauentura testatur scribens: *Et quoniam tantum gaudebimus de bono alterius, quantum diligimus eum; & ibi verè diligemus omnes alios, sicut & nos, & Deum perfectissimè plus quàm nosmetipsos: ideò multiplicabitur gaudium nostrum secundùm inæstimabilem numerum Angelorum, & sanctorum, de quorum gaudio gaudebimus, sicut de nostro.* Facit ergo multitudo sanctos beatiores. Quare rursus meritò æstimare possumus, sanctos hoc ipso esse multos, quia nouimus esse beatos; & vt sint beatiores, velle Deum, vt sint numerosiores.

§.VI. In-

§. VI. Inductione ostenditur, innumerabilem esse turbam eorum, qui saluantur.

Sed enumeremus hanc turbam. Atque vt eos, qui Christum magno numero antecesserunt, omittam, neque repetam, quem S. Ioannes priùs duodecim tribuum numerum assignauit, cui deinde primùm adiecit: *Post hæc vidi turbam magnam*, &c: quantam, vix nato Christo, turbam Herodes immolauit? Eius enim crudele mandatū *mittens* (carnifices) *occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra.* Hos pueros non paucos fuisse facilè cogitabit, qui rationem inire volet puerorum, in tota aliqua non vrbe, sed regione per integrum biennium nasci solitorum. Nec, nisi ob multorum puerorum cædem, *ploratus & vlulatus multus* auditus est. Quocirca dicitur: *Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Vbi per Rachelem regio duarum tribuum, Iudæ, & Beniamin, intelligitur. Hæc tota regio non tantùm modò natos, sed omnes omnino & bimestres, & trimestres, & semestres, & vnius, & duorum annorum pueros, &

XXIII.

Matth. 2. 16.

quotquot intra duos annos nati sunt, Christo per Herodis ferrum victimauit.

XXIV. Hi ergo omnes cœlum adiêre. Post hos quanta martyrum agmina sunt secuta? Tota legio Thebæorum. Tota classis S. Vrsulæ. Totus exercitus in Armenia. Vndecies mille martyres. Quot Neronis persecutio in cœlum promouit? quot Domitiani imperium, Traiani gladius, Antonini sententia, Seueri seueritas inaudita, Maximini furor, Decij immanitas, Valeriani rabies, Aureliani impietas? Solus Diocletianus decem continuis annis in Ecclesiam Dei ita grassatus est, vt omnis ferè sacro martyrũ cruore orbis infectus esset. Damasus refert 17. millia Christianorum intra vnum mensem ab hac bellua esse interfecta. Et Eusebius addit, ea tempestate adeò fuisse omnes carceres plenos martyribus, vt nullus relinqueretur locus facinorosis; quo etiam tempore passim tot martyrio coronatos refert intra biennium, vt impossibile sit, eorum numerum inire. Hi tamen omnes cœlum iniêre. Hos ergo solos si vidisset Ioannes, vidisset *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Fuerunt tamen alij longè plures, qui religioni

S. Augustin lib. 18. de Ciu. cap. 52.

Damas. in Vita Marcellin. Euseb. lib. 8. c. 6.

gioni Christianæ sanguine suo subscripsêrunt, & quidem tanto numero, vt Lindanus scribere non dubitet, Ecclesiam, si omnium martyrum natales mortesque celebrare vellet, per totum longum annum quotidie, plus quàm triginta millia martyrum, habituram. Et ponamus triginta tantum millia esse, cum ergo annus dies habeat 365. totius anni numerus ascendet ad decem milliones nongenta & quinquaginta millia martyrum. Nonne hæc est turba magna? Et quamuis dinumerata, attamen nec martyres solùm sunt in cœlo. Habet illa beata sedes etiam ingenti numero Confessores: habet tota anachoretarum, religiosorum, prælatorum, clericorum examina: habet innumerabilium virginum & viduarum choros. Et, si in vno sæpe cœnobio simul vixerunt quinq; aut septem millia virorum, quanta tot sæculis conficietur sanctissimorum cœnobitarum multitudo? Quin ingens fuerit semper per mille sexcentos annos Catholicorum numerus, & vsque ad mundi finem futurus sit, nemo est qui nesciat. At ex non improbabili calculo doctissimorum & probatissimorum auctorum, longè

In Psal. 2.

XXV.

Cornel. à lapide in Apoc. cap. 21. v. 16. Ludouic. de Ponte;

tom.1. de Christiã. Perfect. tractat. 1. c.1.§ 3. maior pars Catholicorum ſaluatur; quanta ergo ſaluandorum multitudo conſurget? Nec ratio deeſt, quæ id ſuadeat. Plerique enim, peneque omnes morituri ſacramentis muniuntur, quæ *ex attrito contritum* facere conſueuerunt. Atque cum ad hunc vitæ articulum perueniunt, etiam maximi peccatores, ex timore gehennæ, iniuſtas opes, inueteratas inimicitias, impuras pellices, aliaſque peccati illecebras relinquunt, & ad futuram vitam anxia ſe cogitatione diſponunt. Facilè ergo id agunt, vt cum *latrone in paradiſum* admittantur. *Luc. 23. 43.*

XXVI. Accedit, quòd tertia, vel quarta hominum pars moriatur in infantia & innocentia, & ipſa baptiſmi ſanctitate inter ſidera collocetur. Alij, ſi non è cunis ad ſepulchrum efferantur, vix pueri eſſe incipiunt, cum iam deſinunt eſſe viui. Itaque & hi antè plerique præmia ſanctorum reportant, quàm poſſint ſupplicia mereri impiorum. Quin etiamſi ætate ſint & intelligentia robuſtiores, tamen vt plurimùm ita in timore Dei à parentibus educantur, vel à præceptoribus, confeſſarijs, concionatoribus inſtituuntur, vt difficulter in ſcelera conſentiant. Quia autem

cum,

eum, quo semel est imbuta, odorem testa diu seruat, & prima semina pueris impressa plerumque per omnem deinceps vitam hærent; facilè isti viam virtutis, quam initio arripuerũt, possunt continuare. Quod si adolescentum ætas lubrica est, & in biuio, atque inter syrtes versatur, habent sanè & illi socios, à quibus ad bonum alliciantur: habent Congregationes, habent B. Virginis præsidium, habent Confessarios, habent Præceptores. Denique quàm XXVII. multi simplices, plebei, agricolæ, opifices, coniuges probi ac timorati, in summa inopia, labore, vilitate, fame, morbis, miserijs adhuc Deo pro beneficijs quotidie gratias laudesque ex animo dicunt? Quis hos non censeat vitam feliciorem promereri? Quanta autem istorum omnium est multitudo? Et si vel maximè beati non totum cœlum empyreum, sed illud duntaxat spacium in eo essent occupaturi, quod ciuitate Hierusalem est ab Apostolo eiusque interpretibus descriptum, satis profectò numerus ille excresceret. *Ad vrbem,* *Vide Cornel. loc. cit.* inquit Alcazar, *tantæ magnitudinis, quanta hîc describitur cœlestis Ierusalem, incolendam, requiri videtur maior ciuium multitudo, quàm*

quæ occupare possit vicies centena millia vrbium, Hispalin (quæ Monachio quater esse maior dicitur) *magnitudine adæquantium. Innumeri enim paruuli, etiam inter hæreticos & schismaticos saluantur: atque ex adultis plures, quàm multi opinantur. Curat enim Christus, qui suum sanguinem pro animabus fudit, vt illæ, quas tantopere amat, saluentur; ne sanguis pro eis incassum sit effusus. Quocirca si mundus staret per sex millia annorũ, vti multi opinati sunt, quibuslibet mille annis tot saluarentur, quot incolere possent trecenta triginta tria millia vrbium Hispalin adæquantium: quolibet verò anno saluarentur tot, quot possent incolere trecentas triginta tres vrbes Hispalin adæquantes. Quolibet verò die penè tot (annus enim penè totidem, scilicet paulo plures, continet dies, nimirum 365.) saluarentur, quot incolere possent Hispalin. Incolere dico, non tantùm quoad ædes, sed etiam quoad prædia, hortos, viridaria.* Hæc calculatio locum habet, si exiguum tantum & vix sensibile in cœlo spacium beatis attribuatur. Quis numerus prodibit, si totam cœli aulam sanctis pandamus? Quàm verè *turbam magnam* reperiemus, *quam dinumerare nemo possit?*

§. VII.

§. *VII. A multitudine beatorum, homines contra pericula summopere animari.*

Itaque quàm tenuis vmbra erunt *Labyrinthi* habitatores, si cum cœli incolis cōferantur? Et tamen ad huius palacia, per tot errores & anfractus mortales cupidissimè aspirarunt. Quis non potiùs illuc aspiret, quò tot perueniunt? Quis vel cœlum aspiciens, vel cœlestes mente voluens non intimis medullis exiliat, & speret, se quoque aliquando illuc euolaturum è terris, & vnum ex numero tam magno futurum? Omnes quotquot stabant *ante thronum & in conspectu Agni* erant *amicti stolis albis* innocentiæ, puritatis, castitatis, *& palmæ in manibus eorum*; quia pericula, quia tentationes, quia hostes, quia se ipsos vicerunt. Sic illi in hæc mænia ascenderunt, sic vrbem illam ceperunt. Per tela, per pugnas sunt sequendi. O beatos nos, si ex hoc mundi *Labyrintho*, ad tam beatas sedes attingamus! O miseros, & iterum, iterumque miseros, si inter tot triumphantes, nos vinci, inter tot saluandos, nos damnari patiamur! Et possumus omnino ad beatas illas sedes attingere, possumus hostes, possumus insidias in hac vita occurrentes

XXVIII.

Apoc. 7. 9.

vincere; possumus trophæa statuere, & XXIX. bello feliciter debellato triumphare. Omnibus siquidem in hoc Mundi *Labyrintho* constitutis, & inter sacrum ac saxum stantibus, aut inter viam & errorem, inter pericula & auxilia ambulantibus ingens illa turba, & incredibilis multitudo beatorum de cœlo tanquam de summa cauea, acclamat, atque ad se vocat; testaturque, quidquid est in Mundo discriminum, posse superari. Vt enim qui in vlteriore ripa consistunt, ipso exemplo loquuntur & dicunt, flumen aut transuadari, aut tranari, aut nauigando transiri potuisse: sic illi qui cum palmis virentibus, & stolis splendentibus in cœlo conspiciuntur, clarissimè ostendunt, nihil tam in hoc mundo occurrere periculosum, nihil ad salutem euntibus obijci tam illecebrosum, quod cum diuina gratia non possit euitari, sperni, superari. XXX. Pulcherrimum eius rei exemplum in S. Augustino nobis est datum. Is enim cum & ipse in æquilibrio esset, & satis diu in Mundi istius *Labyrintho* fuisset vagatus, tandem lumen vidit ad se è *nomo*, & regia illa tutissima vibrari, quod illum docuit posse sequi, quò tot millia hominum præcesse-

ceſſerunt. *Aperiebatur*, inquit, *ab ea parte, qua intenderam faciem, & quò tranſire trepidabam, caſta dignitas continentiæ, ſerena, & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens, vt venirem neque dubitarem, & extendens ad me ſuſcipiendum & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis, ſed fæcunda mater filiorum gaudiorum de marito te, Domine. Et irridebat me irriſione exhortatoria, quaſi diceret: Tu non poteris, quod iſti & iſtæ? An verò iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te ſtas, & non ſtas? Proÿce te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet, vt cadas. Proiice te ſecurus, excipiet te, & ſaluabit te.* Siquidem ille idem Deus, cuius immenſa benignitate, tam innumerabilis multitudo ad portum ſecuritatis appulit, ſimilem & tibi opem pollicetur. Quin vnumquemque noſtrum quotidie, & penè ſingulis momentis ad cœleſtem gratiam non repudiandam hortatur, & monet: quin & rogat propemodum, vt auxilium ſuum & conſilia tam ſa-


S. Auguſtin. lib. 8. de Conf. cap. 11.

lutaria ſuſcipiamus. Quod ſi multæ ſeſe nobis opponunt, eæque graues moleſtiæ: non idcirco ceſſandum eſt; ſed generosè audendum: nimirum felicibus auſpicijs Chriſti ducis noſtri: qui infinitis vitæ ſuæ ac mortis meritis ingentes nobis ſpiritus ac vires fideliter dimicantibus ſuppeditabit: ſicut ſuppeditauit tot ſanctis, qui eadem qua nos naturæ fragilitate, ijſdem vitæ perturbationibus & moleſtijs, nonnulli etiam maiore, quàm nos peccatorum pōdere preſſi tamen vicerunt: & nos quoq; vincere poſſe exemplo ſuo dicunt.

Caput XVI.

NIHIL DIVINIS LAVDIBVS OFFICERE, QVOD, SICVT IN LABYRINTHO, ITA ET IN mundo vias in diuerſa ducentes conſtituerit Deus.

§. I. *S. Ephræmij de duabus diuerſis Mundi vijs vera ac ſalutaris doctrina.*

I. Dem, quod ad Auguſtinum, ad omnes homines dicit Virt⁹, quæ nos per viam rectam parata eſt ducere. Nam duæ ſunt in hoc *Labyrintho* viæ: vna quæ ad domum regiam, iucundam, ſecuram; altera quæ ad Minotauros, ad Hy-

ad Hydras, ad Harpyias, ad leones, ad dracones, ad ipsam perditionem ducit. Itaq; *contendite*, ait S.Ephræm, *intrare per angustam portam quæ ducit ad vitam. Per hanc fratres ambulemus viam, vt vitam æternam hæreditate possideamus. Qui enim hanc ingreditur, proculdubio æternæ vitæ possessor euadet. Cum hæc ipsa via sit vita. Et licet pauci sint, qui inueniant illam, nos tamen charissimi non frustremur ea. Nullus nostrum extra hanc ambulet, ne adperditionem abscedat, sicut & à Propheta dictum est: Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Audiamus Dominum dicentem: Ego sum lux. Ego sum Pastor bonus. Ego sum vita. Ego sum ostium. Per me, si quis introierit, saluabitur. Ego sum via: qui sequitur me non offendit: sed habebit lumen vitæ. Hanc igitur beatam insequamur viam, quam cuncti ambularunt, quicunque desiderarunt Christum. Huius quidem ingressus cum tribulatione atque pressurâ iuncti sunt, sed requies beata; huius ingressus austeri, ac tetrici; at retributio, gaudium. Huius ingressus angusti sunt, verùm diuersorium latum atque amplum. Huius viæ incessus, ieiunium, oratio, compunctio, vigilia, humilitas animi, paupertas spiritalis, contemptio carnis, cura animæ, humi-*

S. Ephr. tract. de variis tormẽtis Inferni.

Psal. 2.

Io. 1. 8. 9. 10. 12. 14.

II.

humicubatio, aridorum ciborum comestio, illuuies, fames, & sitis, ac nuditas: misericordia, lachrimæ, luctus, angustia, gemitus, genuflexiones, ignominiæ, persecutiones, direptiones, alapæ, labores manuum; pericula, insidiæ; maledicta atque conuitia ab alijs sufferre, odio haberi, & non odisse, mala perpeti & bona pro malis reddere, remittere debitoribus debita, animam suam pro amicis ponere. Denique autem sanguinem pro Christo fundere quando occasio

III. *ferret. Hi angustæ portæ & strictæ viæ sunt gressus atque incessus, quæ fælicissimam sibi vendicat retributionem, ipsum regnum cælorum, cuius non erit finis vnquam. Lata autem est porta, & spatiosa via, quæ deducit ad perditionem; cuius gressus sunt, pro præsenti quidem læti ac hilares, sed illic tristes; hîc dulces, at ibi felle amariores; hîc leues, isthîc graues, & dolore pleni. hîc apparent velut nihili, cùm & nihil sint: illic autem, sunt feræ siluestres, circumdant obeuntes, & non pænitentes, iuxta dictũ*

Psal. 48. *Prophetæ, qui ait: In die mala, in iniquitate calcanei mei circumdabis me: hoc est malitiâ vitæ huius, latæ scilicet viæ gressus atque incessus, quos & Apostolus sigillatim expressit, atq;*

Gal. 5. Eph. 5. Col. 3. & 1. Thess. 4. *enumerauit, cuiusmodi sunt: Fornicatio, Adulterium, Lasciuia, Idololatria, Veneficium, Inimici-*

micitiæ, contentio, æmulatio, Ira, dissidia, Inuidia, & id genus alia, quæ sunt latæ viæ gressus. Similiter verò & nimij risus, vociferationes, citharæ, voluptates, tibiæ, choreæ, balnea, mollia indumenta, sumptuosa prandia, manuum applausus & tumultus, somni absq; sollicitudine, lecti molles, & mensarum diuersitas, inexplebilis edendi voracitas, fraternum odium, quodq; peius est, impœnitentia, & nunquã meminisse sui ex hac vita excessus. Hi difficilis illius viæ sunt gressus, per quam ambulant multi. Verùm & diuersorium inuenient accommodatũ, pro delicijs famem, pro ebrietate sitim, pro requie dolorem, pro risu luctum, pro citharâ planctum, pro corpulentia vermem, pro otio, atque torpore mentis dolorem, pro tripudijs commercium cum dæmonibus, pro tabularum lusu, vt hi ipsi dæmonibus adsocientur, abominationis huiusmodi auctoribus: pro curiositatibus, & incantationibus, reliquisq; exercitijs prauis, tenebras exteriores, gehennam ignis, & his similia, quæ sunt stipendia mortis, vbi suas ipsa depascit oues, suos discipulos, amicosq; suos, qui latam & spatiosam ingressi sunt viam, secundum illud Prophetæ dictum: sicut oues in inferno positi sunt; Mors depascet eos. Illos scilicet qui viam latam ingressi, per gaudia,

IV. *Psal. 48.*

dia,

dia, ad supplicia tetenderunt. Nam vt S. Hieronymus ait, *Difficile, immo impossibile est, vt & præsentibus quis, & futuris fruatur bonis; vt & hîc ventrem, & ibi mentem impleat; vt de delicijs transeat ad delicias; vt in vtroq; seculo primus sit; vt & in cœlo, & in terra appareat gloriosus.* Hoc homines cum nôrint, non pereunt, nisi volentes.

S. Hieron. Epist. 14.

§. II. Deóne, an homini culpa sit ascribenda, si à via cœli aberratur?

V. Ex quibus manifestè intelligitur, nullam esse Deo attribuendam culpam, si qui *viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.* Inuenit enim eam S. Catharina Senensis, quæ Christo geminam manu coronam offerente, vnam fulgidam, alteram spinis rigidam, cum optionem facere iuberetur, sponsi coronam elegit; malens per spinas ad aurum, quàm per aurum ad spinas tendere. Inuenerunt quoque eam alij, & quidem, vt vidimus, omnis generis homines multi. Inuenire ergo & ipsi potuissent, nisi error *Labyrinthi* magis placuisset, quàm *via ciuitatis,* & regia domus Dei. *Solum peccatum*, ait S. Augustinus, *viam obstruit ad cœlum.* Peccatum autem à Domino non

Ps. 106. 4.

S. Augustin. epist. 105.

no non eſt, ſed à peccatore. Sibi ergo peccator imputet, ſi perit, vel pericula non conſideranti, vel non agnoſcenti, vel temerè contemnenti. Pericula certaminis & victoriæ ſunt occaſio, quare, non vt hominem vincerent à Deo ſunt permiſſa, ſed vt ipſa ab homine vincerentur. *An non meritò coronabitur,* inquit S. Bernardus, *qui ſic certauerit, mundum abijciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod glorioſius eſt, de ſemetipſo triumphans, & crucifigens concupiſcentiam prurientem?* Coronabitur ergo, ſi certauerit viceritque: vincet, ſi cum Deo, vt aiunt, manum mouere voluerit. Victus dicere non poterit cum Ethnico illo: *certiſſima circumuentæ virtutis noſtræ excuſatio eſt; quoniam decepti magis, quàm victi fuimus.* Neminem decipit, qui omnibus ſuccurrit Deus. Itaque nō diuinæ incuriæ, ſed noſtræ ignauiæ eſt, ſi ſuperamur. Qui ſecus ſentit, cum Epicureis ſentit. Nam hi, teſte Saluiano, *ſicut voluptatem cum virtute, ſic Deum cum incuria ac torpore iunxerunt: vt appareat, eos qui ita ſentiunt, ſicut ſenſum Epicureorum atque ſententiam, ita etiam vitia ſectari.* Quapropter non Deum, ſed ſemetipſos accuſant,

S. Bern. ſerm. 1. de omnibus SS.

Valer. Maxim. lib. 5. c. 4.

Saluian. lib. 1. de Gubernat. Dei.

ſi pe-

si pericula accusant, damnationemque suam peruersissimo occasionum mantelo purgare conantur. Quasi æterna illa bonitas eos ideò in tot salutis discrimina cõiecisset, quia saluos esse noluisset, quod impium est cogitare. Coniecti fuerunt enim etiam alij in pericula, sed porrecta de cœlo manu, cum magna laude victoriæ educti sunt. Omnibus diuina manus è cœlo porrigitur, sed non omnes eam apprehendunt, aut nutum sequuntur. Igitur si pereunt, sua voluntate pereunt. Siquidem vt D. Prosper egregiè docet: *Non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt; sed ideò prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præsciti sunt.*

S. Prosper respon. 3. ad cap. obiect. Gallicar.

§. III. *Tot in Mundo periculosis vijs, non errandi, sed merendi occasionem præberi à Deo.*

VI. Nemo in *Labyrintho* Ægypti à palacio regis aberrauit, qui peritum viæ ducem est secutus. Pauci rectum iter, aut nulli tenuerunt, qui sine socio, sine ductore illuc sunt ingressi. Omnibus in hoc Mundo itidem ducem assignat Deus. Bonus dux est ratio, peritus dux est Angelus: certus dux est

eſt ipſe Chriſtus, & quem miſit, S. Spiritus. Cum hoc omnes poſſumus ac debemus ad cœli regiam arcem attingere, quemadmodum iam tot millia hominum attigerunt. Noſtro vitio erramus, ſi hunc ducem repudiamus. *Ecce ego mittam Angelum meum*, ait, *qui præcedat te & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paraui. Obſerua eum & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet, cum peccaueris, & eſt nomen meum in illo.* Hunc talem alioſque tales duces qui ſequitur, næ ille certò perueniet, quò tendit. *Excelſa eſt patria*, ait ille, *humilis via: patria eſt vita Chriſti* (cui conformabimur in cœlo) *via eſt mors Chriſti: patria eſt manſio Chriſti, via paſſio Chriſti. Qui recuſat viam, quid quærit patriã?* Mundus ſanè, ſicut *Labyrinthus*, erroris occaſionem habet, & veritatis. Sed occaſionem veritatis habet à Deo, non erroris. Si ergo occaſio erroris eſt in Mundo, non eſt ea à Creatore, ſed à corruptore Mundi, ſeu à peccatore, qui Mundum corrumpit & deprauat. *Qui timet Deum, faciet bona; & qui continens eſt iuſtitiæ, apprehendet illam, & obuiabit illi quaſi mater honorificata. Homi-*

Exod. 23. 20.

S. Auguſt. in tract. 28. in Io.

VII.

Eccli. 15. v. 1.

Ibid. v. 7.

Ee *nes*

nes stulti non apprehendent illam, & homines sensati obuiabunt illi; homines stulti non videbunt eam: longè enim abest à superbia & dolo. & viri mendaces non erunt illius memores: & viri mendaces inuenientur in illa, & successum habebunt vsque ad inspectionem Dei. Post vitam enim, cum eos iustè iudicans Deus inspexerit, tum demum *iustitiæ memores erunt*, cum eam sentient, & *in illa*, hoc est, in pœna effectu illius inuenientur.

VIII. Quocirca quisquis in hoc Mundo per deuia & auia te ruere animaduertis, *non dicas: Ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij. Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi: quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione, Oculi Domini ad timentes eum, & ipse agnoscit omnem operam hominis.*

Eccli. 15. 12. seqq.

Nemi-

Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpacium peccandi: non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium & inutiliũ.

Quòd ſi quos *ſeruos inutiles*, infideles, & *nequam*, aut filios impios inueniat, non minùs iuſtus eſt, quàm bonus; æquè eum plectere decet merentes, ac præmia ſanctis decernere. Hinc ita Mundum iſtum condidit, ſicut priſci illi reges *Labyrinthum*; in quo errari potuit, & via recta obtineri: pari enim modo voluit Mundum ita eſſe conſtitutum, vt in eo aliorum quidem mortalium ſapientia & virtus, aliorum autem ſtultitia & temeritas diuinam vel bonitatem atque miſericordiam, vel iuſtitiam atque æquitatem faceret manifeſtam. *Eos enim*, vt S. Iſidorus ait, *expectat gloria, quibus fuerunt laborioſa certamina.* Quæ ipſa vincentium gloria, in Dei gloriam redundat. Sed in hoc libro ſatis oſtendimus, eſſe aliquam eamque magnam in huius Mundi *Labyrintho* Conditoris gloriam, intrantium iucunditatem, habitantium ſecuritatem; alio libro etiam ad pericula illius declaranda accedemus. Interea aſpectu Mundi à Deo in hominum vtilitatem &

IX. *Matth. 18. 32.*

S. Iſidor. lib. 2. de ſummo bono. c. 39.

ſalutem conditi, cum Tobia iuniore in-
Tob.8.7. caleſcamus, & dicamus: *Domine Deus patrum noſtrorum, benedicant te cæli & terræ, mareq́ & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis ſunt.*

Amen.

F I N I S.

APPROBATIO

Opus hoc, quo magni Mundi machina, cum veterum AEgyptiorum Labyrintho comparatur, eiuſque nobis laudes ob oculos ponuntur; cùm Orthodoxæ Fidei conſonet, optimaque præcepta morum complectatur, meritò ac vtiliter lucem publicam videbit.

ita cenſeo

Leo Menzelius S. Theol: D. Prof: & Facultatis Decan: &c.

INDEX

INDEX CAPITVM, ET PARAGRAPHORVM.

CAPVT I.

LABYRINTHVM ESSE VERAM MVNDI IMAGINEM, PRIMO RATIONE INCERTI EXITVS.

CAPVT II.

MVNDVM ET LABYRINTHVM SECVNDO ESSE IN HAC RE PARES, QVOD FACIANT AD AVTORVM SVORVM MAIESTATEM.

CAPVT III.

LONGE MELIVS DEO REDIRE GLORIAM EX MVNDI, QVAM REGIBVS, EX LABYRINTHI, MAGNITVDINE, FIRMITATE, CELSITATE.

CAPUT IV.

EX ORNATU TAM MUNDI, QUAM LABYRINTHI QUALIS, ET A QUIBUS GLORIA IN AUCTORES EORUM REDUNDET?

CAPUT V.

MUNDUM ET LABYRINTHUM ETIAM RATIONE HABITATIONIS COMPARARI.

CAPVT VI.

LONGE IVCVNDIVS, IN COELO, DEI, QVAM, IN LABYRINTHO, ALIISQVE PALACIIS ET DELICIIS, REGVM AMICOS HABITARE.

CAPVT VII.

QVANTO SECVRIOREM SVIS AMICIS DEVS IN COELO, QVAM REGES IN LABYRINTHO, FECERIT HABITATIONEM?

CAPVT VIII.

LABYRINTHI MVNITIONIBVS COELVM ETIAM IN HOC PRAESTARE, QVOD NIHIL IBI PECCETVR.

CAPVT IX.

LABYRINTHI CADAVERA QVANTVM DISTENT A BEATORVM IMMORTALITATE, ET AETERNITATE?

CAPVT X.

AN PROPRIE DICTAM OBTINEANT AETERNITATEM BEATI?

CAPVT

CAPVT XI.

DE SOCIETATE IVCVNDISSIMA BEATORVM, SOCIETATEM LABYRINTHI INFINITIS REBVS SVPERANTE.

CAPVT XII.

QVALIS SIT FVTVRVS INTELLECTVS BEATORVM, SIMVLACHRA LABYRINTHI, ORNATVMQVE SVPERATVRVS?

CAPVT XIII.

QVALIS SIT IN VOLVNTATE BEATORVM, SVPRA LABYRINTHI HABITATORES, FELICITAS, RATIONE AMORIS ET GAVDII?

CAPVT XIV.

LABYRINTHI, AN COELI SIT LAETIOR FELICITAS?

CAPVT XV.

VT IN LABYRINTHO MAGNVS FVIT NVMERVS DOMICILIORVM, ITA ET MAGNVM ESSE EORVM, QVI SVPERATIS MVNDI PERICVLIS, AD COELI GAVDIA, SECVRITATEMQVE PERVENIVNT.

CAPVT XVI.

NIHIL DIVINIS LAVDIBVS OFFICERE, QVOD, SICVT IN LABYRINTHO, ITA ET IN MVNDO VIAS IN DIVERSA DVCENTES CONSTITVERIT DEVS.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

C. CAPVT, N. NVMERVM CAPITIS DENOTAT.

A.

Ampli-

Beata

Cælum

Conuer-

Domus

Gloria

I.

Miner-

N.

O.

Pudia

Sanguis

Sum-

Omnia ad maiorem DEI & Beatorum gloriam.

